80

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
39 I
7

CHRISTOPHORI MARCELLI PATRITII VENETI ARCHIEPISCOPI CORCYRAE EXERCITATIONES IN SEPTEM PRIMIS PSALMIS.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
8 39 I 7

Jo: Delphini —

P. Curſii . C. Romani.

Quæ cecinit paſtor uelato carmina ſenſu
  Nunc tandē a Veneto prçſule lumē habent.
Innumeri hæc fateor uoluerūt myſtica lector,
  Sed bona pars ſenſus non habuere ſuos.
Aſt nunc is pſalmis nitor, ut tua perfida corda
  Ad pia iam poſſis uertere uota Luther.

AD SANCTISS. AC CLEMENTISS. DOMINVM.N.D. ADRIANVM DIVINA PROVIDENTIA PAPAM . VI. CHRISTOPHORI MARCELLI PATRITII VENETI ARCHIEPISCOPI CORCYRAE SERVI HVMILLIMI IN EXERCITATIONES IN PSALMIS PRAEFATIO.

ARSENSIS Ille *Paulus beatiſſime Pater(vt diuinæ atteſtantur Hiſtoriæ)ſe beatum dixit,ꝙ aduerſus cõplures Iudeorum calumnias apud Cæſareã eſſet Agrippæ Regis iudicium ſubiturus . Ita me in hac in pſalmos editiõe magnis vndiq; difficultatibus actũ,dũ cenſurã tuã ſanctiſſimã,& protectionẽ pariter ſubeo,non felicẽ dicam, ſed tutũ.Quem dignum etiã eius authorẽ ad cõmunem hominum vtilitatem pia ſententia iudicaſti . Quum.n.neſcio quo ſpiritu ductus in Pſalmum de beatitudine ſuperiori anno me exercuerim,ſorteq; ſua contigerit,vt eo tẽpore incredibili Patrũ conſenſu in ſummũ chriſtiani orbis Principem creareris,factũ eſt,vt quo ipſe ad oſculãdos pedes tuos in Hiſpaniã.ſ.proficiſci nõ poſſem,in tuas ille potuerit manus caſtiſſimas deueniſſe. Inuitabat me & tẽporis,& dignitatis tuæ,& rei,de qua agebatur,occaſio tanta,q̃ta vix alias vnq̃ obtingere potuiſſet,vt te dominum meũ optimum,& Chriſtiani cœtus maximũ Pontificem eo munuſculo ſalutarẽ.Quod quidẽ indignũ licet, ſatisq; tenue fuerit,ea tñ gratia ſuſcepiſti : vt id tibi ſummopere placuiſſe teſtatus ſis,& me ad aliorꝝ pſalmorum cõmentationem*

ſępius incitaueris, inquiens vere me tibi rem gratã facturum, & Deo in primis, ſi tam laudabilẽ prouinciã ſuſcepiſſem. Hinc motus ego, qui ſanctitati tuę in omnibus me auditurũ ſpopondi, cogitare cepi q̃tum pro viribus poſſem non rei magnitudini, ſed eius monitis facere ſatis. Non.n.ex vna, ampliſſimę eruditionis tuę, ac ſapientię iudicium dãnandum eſſe videbatur. Ex alia vero me imbecillem ſatis, tantoq; oneri imparẽ conſpicatus rei huius exitũ pertimeſcebã, pręſertim, ꝙ plęriq; alij tã veteres, q̃ recentiores in vtraq; lingua doctiſſimi hoc in celebri negocio elaborauerint. Non ſubterfugiens igitur imperata, neq; (vt par erat) de meipſo confiſus deniq; ſpem omnẽ meam in Dño poſui, & hac in re vlterius meas exercere vires conſtitui.

AD QVOD quidem eo propenſius me accinxi, ꝙ tam pręclara, tãq; concinna eſt, atq; homini conueniens pſalmorũ materia, vt ad animi voluptatẽ, & in Deum optimũ erectionem illi cõuenientior eſſe non poſſet. Hi etenim in ſe diuina omnia cõtinent, vtriuſq; legis myſteria cõplectuntur, & quę Deus ipſe in ſecretiſſimo bonitatis ſuę theſauro collocauit, explicant, & oſtendunt. Adde, ꝙ peculiari quadam ſuauitate, harmonicoq; concentu ita legentiũ animos leniunt, atq; demulcent, vt cuiq;, ſi ſincero fuerit animo, inter diuina numina conſtitui videatur. Tota.n.naturę moles, mundanũq; opificium ex quadam conſtat harmonia, vt veteres academici perhibẽt. Ipſamq; rationalẽ animam, quę ſola vere eſt anima, conſonantiſſimam omnium harmoniam eſſe dixerunt, ꝙ non alia quidem in vniuerſo res ſit, quę ex maiori diſparitate conſiſtat, aut quę admirabilius cœleſtia, & terrena cõciliet. quis deinde inficiari poterit mira quadam proportione elementa ſibi inuicem adeo inimica intra fines ſuos conſiſtere? Temperata ratione cœlos moueri vt pręcipuo eorum motori, & authori complaceant? quis beatiſſimos illos ſpiritus abſq; concinno, atq; compoſito motus, & intelligentię ornamento ſe habere putauerit? Ipſe rerum omnium opifex licet ex veterum ſententia, ꝙ maxime vnus ſit, careat harmonia, ea tamen vſq; adeo gaudere illum affirmant,

vt non alia magis re ſeſe intelligi, flecti, ac exorari permittat. Noſtra vero pietas, ſanctaq; Religio cum ſumma Dei ſimplicitate admirabilem indiuiduæ trinitatis conſonantiam copulauit. Qua ratione fit, vt per hoſce harmonicos, ſpiritaliq; ſuauitate repletos hymnos facilius Dei gratiam inire, & ad cœleſtia aſcendere valeamus. Hac eadem cauſa Orpheus, Muſeus, Tamiras, Empedocles, & pleriq; alij ex priſcis philoſophantibus hymnis, & carminibus ſecretiora Dei, & naturæ myſteria tradiderunt. Quo etiam factum eſt, vt libentius me meum ingeniolum in Pſalmorum conſideratione tuo iuſſu experiri voluerim. Nanq; illos interptari vſque adeo difficile ſemper exiſtimaui, vt diuinum potius, quam humanum id negocij fuiſſe crediderim. Ex quibus, licet centum quinquaginta numero conſtẽt, circa nonnullos tamen hactenus elaboraui, & ex his paucos, qui mihi policiores viſi ſunt, & neceſſarij magis vna cum vigilijs meis tibi Theologorũ omniũ maximo nuncupatos edidi, vt facilius & haberi, & legi poſſent ab omnibus (ſi qui tamẽ ſunt) quicunq; hoc deſiderio detinerentur. Vtinam ſic illis ſatiſfactum intelligam, quemadmodũ opto, & ipſi a me id præſtari poſſe animo conceperunt.

EO Autem ordine ſeptem hi, quos recinere volui, inſtituti ſunt Pſalmi, quo nihil profecto ſit ad Catholicam attinens pietatem, quin in eis facile reperiatur. Primus enim de beatitudine tractat, quam omnes cupiunt, & veluti ſcopum habent, in quem cunctæ vitæ ſuæ dirigant actiones. Secundus ſeruatoris Ieſu, qui Dei viui filius eſſet, paſſionem cõmemorat. Tertius ſacratiſſimæ reſurrectionis myſterium pandit, vt quæcũq; ad fidei integritatem facerent, pro conſequenda beatitudine ponerẽtur. quid enim Beatiſſima trinitate, Chriſtiq; paſſione, & reſurrectione admiſſa amplius ſupereſt ad credendum, quod ex his veluti principijs agnoſci non poſſit? Et quoniam fides ſola, quæ ſi perfecta eſt, ſola eſſe non poteſt, pro finis conſecutione non ſufficit, addenda erant opera pietatis, cohibendæ iræ, fugiẽdæ voluptates, iuſtitiæ facienda ſacra, perpetua anhelanda bo

na, pax, & quies optanda. Quæ omnia (ſi recte conſideretur) quartus Pſalmus enumerat. quintus orationis medium nobis proponit. Quo, ſi puro corde fuerimus, de felici in diuinam domum introitu, deq; ſumma illa in editiſſimo Dei templo adoratione ſpem maximam habere poterimus. Et quia perfecte orare aut ſperare homo non poteſt, niſi geminos ſibi datos hoſtes reformidet, & ſuperet (quorum alter eſt carnis infirmitas, alter malignus ſpiritus) pugnam, & victoriam cum priore ſextus, cum ſequenti vero ſeptimus Pſalmus contexuit.

NEQVE *Ab re fore cenſui ſeptem numero tantũ exercitationes has edere voluiſſe: Quod ſeptenarius non ignobilis quidem, ſed magnæ nobilitatis ſit numerus. Eo nanq; omnia tempora numerantur: & mundi fabrica, adiecta ſeptimi diei quiete, deſcribitur. Septem errantia in Cœlo ſidera. Septuaginta Danielis ebdomadæ. Septem virtutes. Septem ſancti ſpiritus nobis data ſunt munera. Ad totidem eccleſias ſcribit in Apocalypſi Ioannes. Vbi ſeptem angelos, ſeptem fialas, ſeptem cãdelabra, ſeptem tubas, ſeptem oculos, & ſigilla connumerat. Mitto complura tam in homine, quam in cæteris animantibus hoc ipſo numero naturæ opera celebrata, quæ a phyſiologis referuntur. Id ſolum de ſeptenario prætcrire non poſſum, ſi numerorum dignitas potiſſimum in hoc vno conſiſtat, vt vnus ſit ſimplicior alio, & coniunctas magis partes obtineat, hunc ipſum eſſe, etiam ſenario, quem adeo magnificãt, fortaſſe numero perfectiorem. quippe quum omnes numeri accidentia quidẽ ſunt a ſubſtantia, & magnitudine velut ab exemplaribus quibuſdam ſuam debent dignitatem accipere. Subſtantiæ uero, & magnitudines alijs præſtant, quę magis ſimplices ſunt, ceu anima corpori, & circulus trigono. Itaq; eodem modo de numeris eſt iudicandum. Quum inſuper ex vera aut imaginaria cõtinui diuiſione numerus prodeat, ipſumq; continuum eiuſmodi ſit, quia partes omnes in communem quendam earum terminum coeant, qui punctus eſt, ſola numeri ſimplicitas ad maiorem eius dignitatem non ſufficit, ſed opus eſt, vt medium*

vinculum habeat, quod cōnectat extrema. Hoc *ternarius habet, atq; ideo præſtat binario, & videtur numerorum omniū præſtantiſſimus. Qua ratione trino ſacrificiorum cultu Deum venerabātur Pithagorici, vt meminit Ariſtoteles. Et chriſtiana veritas diuinarum perſonarum altiſſimam poſuit trinitatem. Ab hoc præſtantior ſenarius iudicabitur, ꝙ geminos, ex quibus cōſtat, ternarios habeat. qui quum indiuidua, qua connectantur, careant vnitate, quam ſeptenarius obtinet, forſitam dicēdum eſſet ſeptenarium numerum eſſe ſenario præſtantiorem. Licet enim maxima ſenarij dignitas (vt aiunt) ſit, ꝙ ex ſuis omnibus partibus (quas aliquotas vocant) ordine poſitis conſtet ad vnguem, raroq; eius conditionis numerus reperiatur, hoc tamē illi detrahitur, ꝙ ſolutos ternarios habeat. quicquid ſit, ſi ſeptenarius non eſt ſenario dignior, uidebitur tamen in proximo illi nobilitatis ordine collocandus. Hæc de numeris attigi, vt hac quoque ex parte lucubrationes hæ ſibijpſis defuiſſe minime videantur.*

NON *Eſt mihi hoc in loco inſuper omittendum primum, & ſecundum Pſalmum, aut a ſe inuicem nō eſſe diſtinctos, quoniam in apoſtolorum actis .xiiij. capite ea verba. Filius meus es tu, ego hodie genui te, legantur primo conſtitui: quæ tamen iuxta communem vſum ſecundo habentur Pſalmo: aut primum, ꝙ veluti Pſalmorum prohemium quoddam ſit, nequaquam inter pſalmos enumerari debere: quicunq; illius fuerit author. Nonnulli enim ſunt, qui Eſdræ illum attribuunt. quidam, vero vt Baſilius, Gregorius niſſenus, Cyrillus, Chryſoſtomus, Athanaſius, & alij Dauid illum eſſe dixerunt. Sine titulo autem deſcribuntur ambo, ꝙ in vtriſq; vniuerſalis pſalmorum materia continetur, cui ob id, aut ſola dignitatis ratione, certus nullus titulus competere videbatur. Quum tamen de beatitudine in lege Domini poſita primus, & de Chriſti paſſione ſecundus (vt videre eſt) clariſſimam faciat mentionem. Ego autem communem legendi vſum ſecutus & primum a ſecundo diſtinctum, & vtrumq; pſalmum appellare conſtitui.*

HAEC Præfari libuit Pater ſancte antequam ad meas,
qualeſcunq; ſint, pſalmodias deuenirem. Quas ſi pro tua in me
pietate læto ſuſceperis animo, certe quammaxime gaudebo
& fiet, vt non modo ꝙ tuo natus ſim tempore, a me Deo opti
mo maximo habendæ ſint gratiæ immortales (quemadmo
dum Philippus Rex de Alexandro ad Ariſtotelem ſcripſiſſe
legitur) verumetiam ꝙ dignitatis, & ſapientiæ culmine præ
ditus, me, meoſq; labores, & vigilias tantifacere; ac plurimum
exornare videberis. Neq; ſolum mihi gaudendum putabo, ſed
tua hac immenſæ pietatis aura, & benigniſſimo afflatu fieri
poſſe ſperandum, vt inceptum pſalmorum negocium proſequar,
& meliora in dies Domino coadiuuante conficiam. Id vero
dabitur nunquam, niſi a diuini ingenij tui Alis (vt verbis Eze
chielis vtar) meæ infimæ, & imbecilles excitentur plumæ:
quibus cœleſtia ſublimius valeam contemplari, & abdita ſacra
rum literarum ſenſa perquirere. Quod, vt mihi tua beni
gnitate præſtes aſſidue, te ſupplex oro, obſecro, &
obteſtor. Nanq; in tanto rerumpublicarum
diſcrimine id mihi vnicum ſola
men erit, & ſingulare
præſidium.

IN PSALMVM PRIMVM BEATVS VIR, QVI EST SINE TITVLO.

S I miſer ego, & infelix ſum Domine, Qui ne minimũ quidem tuæ beatitudinis attigi, Quomodo de beatitudine loquar? ſi mille circumuentus erroribus, Limpidam proferam ueritatē? Si caligantibus oculis ſolis lucem intueor, ſupercęleſtis gloriæ Diuinitatem aſcendam? Immenſiq́; ſplendoris tui radios hauriam, aut feram? Non poteſt quæ non intelligit homo, uerbis exprimere. Nāq; in conſpectu tuo deficit omnis uiuens. Non eſt intellectus, aut ratio, quæ non perturbetur. Non eſt lingua, quæ non obmuteſcat, dum cogitauerit animus, aut ſe ad cogitandum accinxerit quomodo in tui uultus lumine beari queat. Quum ſeipſum ignoret homo, cœli altitudinem metiri non poterit. Si cœlum attigerit, id quomodo penetra-

bit? ad beatorumq; ſpirituum ordines deueniet? & angelorum? Si eouſq; caput extulerit, quo pacto ineffabilem pulchritudinem intuebitur? de qua ualeat habere ſermonem? Mutus.n.& ſurdus,qui uocem tuam non audit, Qui in peccatorum fece permanſerit, in diſciplina tua nequaquam proficiet·Qui de terra eſt,de terrenis, ac infimis loquitur. Non poteſt noſtra infirmitas ad tantum Maieſtatis tuæ faſtigium eleuari·Summa, & incredibilis puritas non patitur cum noſtra hac impuritate cõiungi. Mundanæ, & tenebroſæ ſordes a candore lucis æternæ maxime ſeparantur·Ima.n· Domine ſumma fieri, & imbecillia fortia reddi: Mala in optima commutari,& mortalia in ſempiterna: Amara in dulcia, & arida in pinguia euadere ſolus ipſe, qui Deus es,facis,& noſcis. Non nobis Domine,non nobis ita noſtræ ſuppetunt uires,ut de te ſermones congruos habeamus. Neq; de ſplendore oris tui, quem dediſti nobis, ab initio ſatis accepit homo, niſi eodem lumine denuo illuſtretur, ac felici rore tuo ſicca eius madefiant eloquia: Vt ſeipſum quantus ſit,noſcat,deq; ſua beatitudine te Duce,& authore loquatur. Omnia ſapientia tua feciſti, & quam admirabili conditione mundum creaſti. Tui ſunt Cœli, tua eſt Terra, Tuũ

eſt mare, & omnia, quæ in eis ſunt. Tuus homo, Quem formaſti, & ad tui imaginem procreatum ſupra terræ faciem cõſtituiſti: Animantibus imperare, ſeipſum noſcere, Cœli ambitum contemplari, immortalem fieri uoluiſti. Sed niſi tua eruditione proficiat, amittit omnia, & tanquam ouis perdita relictis ſuperioribus paſcuis ad inferiora declinat. Tu igitur ſis ipſe Domine, Qui tuæ ſapientiæ calamo mihi in mente mea deſcribat: & oris mei labia aperiat, Quibus humanæ beatitudinis ſpeciem paucis non dicam abſoluere, ſed deguſtando ualeam explicare. Quam te eſſe ſemper in auribus meis intonuit: Et ſæpius exclamaui Domine Deus meus es tu, in quo ſperaui. Infunde itaq; ſpiritum tuum, & renouabis animam meam: ut ſi nomen tuum ſæpius inuocauerim, te agnoſcere uidear, & agnoſcendo colere, & colendo ad tuas illas Beatiſſimas ſedes ingenio penetrare. Sic. n. Quænam mea, aut hominis erit beatitudo, balbutiens potero balbutire: Notumq; in iudea (quæ confeſſio, & gloriæ diſtributio interpretatur) Deum aſſerere audebo. Sed prius inde canere incipiam, unde me iam diuinitus afflari perſentio, & uniuerſa Patrum ſeries ſacra, atq; concinna inchoauit eloquia, Dicens:

BEATVS VIR, QVI NON ABIIT IN CONSILIO IMPIORVM, ET IN VIA PECCATORVM NON STETIT, ET IN CATHEDRA PESTILENTIAE NON SEDIT.

HIC.n.ad tuam gloriam,& ſplendorem non ſuis meritis, ſed pietate tua poterit peruenire. Nanq; hac in terrena plaga conſtitutus eſt mortalis,& peregrinus homo, Habitaculũ firmum & perpetuum habens in Cœlis. Vbi hominis, cui legitur data fuiſſe terra, deſiit eſſe filius, & Cœleſtis Regni factus eſt particeps. Sub peccato.n.omnia concluſiſti, ut feliciori palma uictoriæ donarentur,& in purgatiſſima deniq; patria perpetuis ſęculis habitarent. Bonus,& admirabilis ideo uocatus es Deus, ꝙ bonitate tua immenſa liberas filiorum mentes,& errori obnoxias condere uoluiſti, ut propoſitum eis ab æterno brauium mererentur. Non fuiſſent ulla operatione gloriæ tuæ participes, ſi ille ipſe eſſes, ſolo cuius beneficio per naturam illis inditam ad tuum ſublime ſolium efferretur. Miſeratione tua a principio antequam ulla eorum conciperes merita, illis perpetuam felicitatem paraſti. Et ſuis nihilominus, liberiſq; uirtutum actionibus cum Dignitatis gradum eoſdem attingere

uoluiſti. Non erant huius ſæculi actiones di-
gnæ, ut alterius uitæ beatitudine donarentur:
niſi ille ipſe eſſes, qui eas dignas efficeret, & cum
immenſæ tuæ benignitatis amplitudine com-
penſaret. Inde ad hominem pius ille ſermo diri-
gitur, quo dictum eſt. Qui te ſine tuo auxilio fe
cit, teipſum ſine te ſeruare minime uoluit. Dei
perfecta ſunt opera, canitur, atq; ideo cœlum, &
terra nobiliſſimis artibus exornata: Diuina terre
nis optimo nexu coniuncta, mortalia immorta-
libus copulata: Et quæ ſua cõditione facile diſſo
luta fuiſſent, ſtatis quibuſdam, inſtar medicami
num, obſeruandis præceptis ſunt perpetua ſta
bilitate donata. Cecidit de ſupremo ſpirituum
ordine lucifer in Draconem ſua culpa mutatus.
De quo ſcriptum Dei digito legitur. Quomodo
cecidiſti lucifer, qui mane oriebaris? Neq; ipſe
ſolus ob illatam altiſſimo contumeliam eſt ad
ima depulſus: Sed complures comites habuit,
ex quibus factus eſt exercitus impiorum. Qui
humanas ſemper actiones peruertere ſatagit, &
in ſuas partes trahere, ſi poſſet, ſumma deſpera
tionis miſeria machinatur. Hæc omnia quum
ab initio Claritatis tuæ oculo conſpexeris Domi
ne, in deſtitutas Angelorum ſedes collocandos
homines ſtatuiſti. Quos paulo minores illis con

dideras, ut gloria, & honore coronati:ac ſuper opera manuum tuarum conſtituti ſuperiores rebus aliis efficerentur. Canit propterea uniuerſus orbis terrarum. Cantemus Domino Deo noſtro, & explicatiſſimis uocibus iubilemus: Glorioſe.n.& magnifice ſe habuit erga nos proiiciens equum, & Tumidum eius Domitorem in mare. Vbi una cum ſequacibus perpetuis miſeriarum fluctibus agitatus Diuinæ iuſtitię opera manifeſtet.

BEATVS ergo uir ille erit, & felix, qui conſumato uitæ curſu Angelorum ſedes adierit. Cui pateſcentibus cœlis non per ſpeculum in enigmate, aut umbra: ſed ut ipſe a te cognitus eſt, ita te noſcat, eiuſq; ori os tuũ clariſſime eluceat. Neq; eſt aliud (ut Diuinum teſtatur eloquium) ipſa æterna uita, niſi ut noſcamus te Deum, & denudata facie conſpiciamus. Viam, quæ ducit ad optatum finem, hac in peregrinatione anima meditatur. Et inter ambigua conſtituta mille cũ hoſtibus præliatur. Hinc Demone, mortiſq; timore angitur. Inde caro ſpiritui, & ſpiritus carni repugnat. Sentimus.n. (ut ſcriptum eſt) legem aliam in membris, & aliam oppugnantem in mentibus noſtris exiſtere. Inde ipſa eadem anima ueluti magno in pelago ſæuiſſima tempeſta

te acta nauis,ſæpe malorum turbine conquaſſa-
ta ad ſcopulos uanitatis alliditur,& naufragium
facit: Sæpe tuo adiuta numine de profundo ip-
ſius pelagi erepta, lacuq; miſeriæ liberata uiſa
eſt in ſalutis portum reſtitui. Data ſunt illi abs
te ſacratiſſima munera. Quibus tanquam malo,
uelis, & gubernaculo recta uirtutum mare ad
nauiget,uitiorum procellam effugiat,felici aura
tuæ pietatis afflètur. Neq; illi eſt, aut eſſe poteſt,
dum in terris uerſatur, uera beatitudo. Nulla
enim ei data eſt appetendi ſatietas/nulla perfe-
cta quies/nulla ſecuritas. Et ſi uiuens in Cœlum
rapiatur homo, & ampliſſimæ Diuinitatis par
ticeps efficiatur, dum ſe perpetuo ibi non noue-
rit permanſurum,felix eſſe nō poteſt. Scriptum
eſt enim, & tu ipſe, Quem alloquor, Domine
noſti,niſi indeſinens gloria tua appareat animę,
ſpiritalibus alimentis illam ſatiari non poſſe:
ſed irrequietam ſemper eſſe,niſi tuæ magnitudi
nis clauo affixa in te deniq; conquieſcat.

BEATVS ergo erit homo, ſi ad ueram bea-
titudinem deſtinatus quo tendat, uideat, uiden
do credat,credendo ſperet,ſperando amet. Ita.n.
nequaquam in cōſilia impiorum abibit: Quum
ſibi a tuæ pietatis amplitudine præparatum fi-
nem intelliget, ipſum non impiorum, ſed iuſto-

rum more ſummopere uenerabitur. Non ſatis eſt hominem ad ſuum cecis, aut clauſis oculis, quod petat, domicilium duci, niſi prius intelligat, quibus conditionibus afficiatur. Si cum Principe, aut Rege habitare deſiderat, ſi eum colere cupit, ac in conſpectu eius ſuas preces effundere, Quo nomine ipſum appellet, cuius præcipue authoritatis fuerit, cognoſcat neceſſe eſt. Ne forte uelut ignarus in errorem aliquem, qui facile poſſet occurrere, incidat. Fides ergo, quæ ſubſtantia ſperandarum rerum eſſe finitur, fundamentum eſt promiſſæ nobis hæreditatis in cœlo. Quæ tua erga nos pietate quibuſdam ſignis, & ſanctiſſimi tui eloquii uocibus, quũ tibi placuit, eſt humano generi reuelata, ut conſilia, cogitationes, uanaq; impiorum dogmata funditus euerterentur. Ita Pater ille magnus, Deoq; obſequentiſſimus Abraam quia credidit, ad ſalutem ſumma prouidentia deſtinatus legitur. Credidit dum per angelos immenſa tui luminis claritas illi enũciaretur. Qui (ni fallor) in primis mente concepit ineffabile myſterium trinitatis. Scriptum eſt. n. Tres quum uidiſſet Abraam, unum tantum ſumma cum reuerentia coluiſſe. Hoc neſciebat impius Ethnicus, ignorabat Hebræus, fallax mundi ſapientia deteſtabatur. Or

naſti omnia Domine principio, medio, & fine. Numero pondere, mēſura cuncta libraſti. Eſſentia, poteſtate, & operatione conſtituiſti. Vita, incremento, & generatione dotaſti plantas. Senſu appetitu, imaginatione bruta ſignaſti. Memoria, intellectu, & uoluntate hominem tibi ſimillimum condidiſti. Atq; ideo ſcriptum legitur. Signatum eſt ſuper me lumen uultus tui Domine, & faciem tuam ſemper inquiram. Non erat tua uſquequaq; perfecta bonitas, niſi alicuius in ſeipſa fœcunditatis gloria perpetuo honeſtata fuiſſet. Non erat perfectum proli, & parenti ſolamen, niſi tertium quoddam lumen gemina illa beatiſſima lumina conſpirarent: Atq; ideo triplici radio inſignitum ſolem efficerent. Inde factum eſt, ut ſecunda legis traditione habeatur. Audi Iſrael, Quia Deus Deus tuus Deus unus eſt. Et in pſalmis. Deus Deus Deus locutus eſt, & uocauit Terram. Et alibi. Generationem eius quis enarrabit? Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius uirtus eorum. Emitte ſpiritum tuum, & creabūtur omnia, ac renouabis faciem terræ. Mille erant in ſacris editionibus uoces, innumera Diuiniſſimæ huius Trinitatis in creatis rebus ueſtigia. Sed caligantibus oculis, & in cortice ea omnia inſpicientes

tantæ pietatis nucleum ignorabamus, atq; in impiorum conſilia abire quodammodo cogebamur. Patefecit hæc eadẽ unigenitus filius tuus, Qui eſt benedictus in ſæcula. Patefecit inquam, & propria humanitate ſumpta carne monſtrauit. De quo ipſe tu Pater omnipotens ais. Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite. Et ipſe quoq; filius ſe unum tecum eſſe legitime atteſtatus eſt. Qui, ut teſtimonium perhiberet de lumine, cum noſtris tenebris uoluit copulari, Et ſe Deũ humani generis redemptorem exhibuit. Idq; diutius a maioribus noſtris factitatum accepimus. Ecce uirgo cõcipiet, & pariet filium, uocabiturq; nomen eius Emanuel. i. nobiſcum Deus. Puer etiam, qui naſciturus erat, iam natus fuiſſe legebatur: Iſq; nobis Datus filius. Cuius imperium humero contineret, qui & Deus fortis, & admirabilis conſiliarius, & Princeps pacis, & Pater futuri ſæculi diceretur. Renouauit hic omnia, ueteris legis fermentum penitus expurgauit, & expectatiſſima ueritate conſperxit. Huic, & eius operibus credere eſt ab impiorũ conſilio declinare, neq; cum eis pariter abire in profundiſſima tenebrarum, ſed editiſſimo lumine illuſtratos primam & præcipuã nos noſtræ beatitudinis partẽ attingere.

NEQVE fides ſola Homini ſat eſſe poteſt, ut beatus dici promereatur, niſi etiam quod fide conceperit, conſequi poſſe ſperet, Ac in Diuinæ liberalitatis magnitudine ualde cõfidat. Ipſa.n. ueritas ſuadet, & quotidie a fidelibus canitur, Nos in Domino ſperare debere, & bene agere, quum ipſe ab iis, qui eum cupiunt, minime ſub trahatur. Scriptum eſt etiam, inquire pacem, & perſequere illam, Quoniã Deus iuſtus eſt. Item petentibus, & inuocantibus ſe Deum denegare non poſſe: ac ſi quis in eo recta animi propenſione ſperauerit, nequaquam in æternum confundi, Spes ergo uera eſt fidei comes: Quoniam ſine illa intelligi, aut perfecta eſſe non poteſt. Quomodo autem finẽ noſtrum attingere poſſe ſperabimus? niſi eundem ſumma reuerentia optemus? Quomodo optare poterimus? niſi uehemẽter, & ſuper omnia tanquã bonorum omniũ optimum diligamus? colamus? & ueneremur?

VLTRA ſpem eſt neceſſaria caritas, ſi in aliquo beatitudinis gradu uelit homo conſiſtere. Quæ aliis uirtutibus præſtare, atq; eminere dicitur, propterea ꝙ opus ipſum perficiat. Purgari, & illuminari per alias uanũ eſt, niſi iſtius perfectio, & cõſumatio adiiciatur. Triplex ergo funis eſt, quo beatitudinis noſtræ principio col

ligemur. Sed unus tantum ſufficiet, qui nos continea in ſempiternum, dum erimus tecum Domine in patria conſtituti.

VERVM ab hoc gradu facile dimouebitur homo, niſi in uia uirtutis manſerit: & in peccatis minime conquieuerit. Quid enim prodeſt ſemel impiorum cõſilia fugere, & deteſtari? Quid credere, ſperare, & conſtitutum optare finem iuuabit? Si uirtutes, quibus in noſtrum commune bonum ducimur, non proſequamur? Si in peccatis uerſemur? noſtraq; prorſus culpa in miſeriarum Laqueis iaceamus? Septies in die cadit iuſtus, & ſi dicimus quia peccatũ nõ habemus, ipſi nos ſeducimus. Atq; ideo ingemiſcens canebat ille. Ecce in iniquitatibus natus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. At in peccatis ſtare, & poſt caſum ab eis non ſurgere, impiorum eſt: Et qui in uia hac deteſtabili perſeuerauerit, Qui malum malo adiunxerit, Qui ſuo caſu gaudet, & gloriatur, Qui continuis uanitatum laqueis irretitur, nec unquam nequitiæ uinculis liberatur, impius nõ eſſe non poteſt: & erumnarum omniũ pondere prægrauatus. Qui hunc ſecundum beatitudinis gradum non ſeruat, Quomodo in primo cõſiſtet? Amabit ne finem, qui fini contrarium operatur? Quomodo in te

credet Domine, aut in te ſperabit, qui oſtenſam uirtutũ uiam, qua ad te peruenire ualeat, aſpernatur? & per uitiorũ ſemitas impudẽter diſcurrit? Qui enim progreditur, non retrocedit, & qui aſcendere nititur, non ſtudet, ut deſcenſui præparetur. Vna, ſatiſq; arcta uia eſt, quæ ad ſalutem uſq; animas ducit. Qua ſiquis per uirtutes gradatim inceſſerit, ueluti per cathenam quandam ex annulis aureis contextam, ueram, & ſupercęleſtem beatitudinem admouebit. Felix certe nõ tantum qui uiam iſtam inuenerit, ſed etiã cuſtodierit, & ne minimum quidem ab ea diuerterit. Hæc eſt illa uia, Qua cęli Ianua patet, qua ſiquis recte ambulauerit, hoſtes non formidabit. Via quidem non inuia, ſed frequentius uſitata ab iis, qui uitam, ueritatem, & iuſtitiam diligunt. Qui mundo ſunt corde, neq; ueſpertinum ſacrificium offerunt, ſed holocauſtum laudis, & immaculatum. Qui uere nomen Domini inuocant. Via hæc ſalutaris, & fructuoſa, Quæ ex Aegypto homines in Terram promiſſionis deducit. Ex perturbatiõe, & inquietudine in pace, & quiete conſtituit. Via, quam ab ęterno electis ſuis, quos ad ſempiternam gloriam deſtinauit, Deus ipſe propoſuit. Viam hanc ſuo ſplẽdidiſſimo lumine illuſtrauit. Per quam filius eius uni

genitus ſacratiſſimam primus choream duxit: Et Sanctorum Patrum animas, quae parum ab ea declinauerant, ad ſuperos reuocauit. Qui per hanc uiam inſudant, colligunt ſudoris ſui, & laboris ſuauiſſimos fructus in Cęlis. Vbi neq; erugo, neq; tinea demolitur, neq; fures furantur. Qui ergo conſilia impiorum cum peccatorum uia, & ſtatu coniunxerit, multo miſerior eſt, quam ſi fuerit impius.

AT ſi in cathedra quoq; peſtilentiae ſederit, factus eſt non impius, ſed omni impietate crudelior. Qui enim infidelis eſt, qui peccatis gaudet, Qui impietatem ſuam tanquam Venenum aſpidum, & peſtilentiam letalem effundit, implet omnes numeros iniquitatis. Sicut.n.non ſatis eſt homini bene agere, ut magnus ſit, & uocetur in Regno Cęlorum, niſi quod agit, edoceat: Ita qui male operatur, ſi malus eſt, & iniquitates ſuas uerbo, & facto ſuadeat aliis, longe infelicior eſt, & tanquam peſtis ab hominibus fugiendus. Qui uero benefecerit, & docuerit, hic magnus quidem in terris eſt, ſed longe maior in Cęlo. Docuiſti tu Benigniſſime fili, & prius quę docuiſti, facere uoluiſti. Docuiſti non in mortalium rerum umbris, & uanitatibus tuam noſci debere pulchritudinem: Non in fallacis ſapien-

tiæ fluctibus tuam perſpici Maieſtatem, Neq; in tenebroſo, & obſcuro ſtellarum, aut lunæ ſplēdore tuam coli Diuinitatem: Sed ab iis tanquā gradibus quibuſdam ad ſupremum tuæ amplitudinis ſolem annitendum eſſe monſtraſti. Vbi lumen Glorię tuę ampliſſimum, & quicquid eſt omni gloria, & amplitudine maius, attingat homo. Atq; ex infima hac, & caliginoſa Beatitudine ad ueram illam, & expectatiſſimam lucem aſcēdat. Parata nūc eſt uia tua Domine, & rectæ factæ ſunt ſemitę tuę. Doctrina tua ſanctiſſima, atq; optimo operum inſtituto factum eſt nobis propinquum Regnum tuum. Saluberrima Cathedræ Tuæ adminiſtratio, ſtatus ille, & ſeſſio glorioſa uniuerſum orbem terrarum protinus illuſtrauit, Cęlos aperuit, inſtabiles cōfirmauit, Diuina ad Terrena deflexit, Rurſus hęc eadem illis ſumma authoritate coniunxit, perpetuo fędere copulauit. Quare terq;, quaterq; Beatus eſt homo ille (ut ſcribitur) quem tu erudieris Domine, & qui admirabili diſciplina tua profecerit. Docebas in Templo, dum a parentibus quærebaris. Docebas in cena, dum diſcipulos admoneres, ut quotienſcunq; quod a te factum eſſet, agere uellent, id in tuam commemorationem eſſent acturi. Docebas dum te, & Patrem unum

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

eſſe dicebas, & neminem ipſum agnoſcere, niſi filium,& eum,cui uoluiſſet filius reuelare. Docebas iniquiſſimam phariſeorum turbam, quæ antiquæ probitatis, & ſcientiæ nomine gloriabatur. Sed tanq̃ in lapides Doctrinæ tuæ ſemina eorum culpa ieciſti. Docebas, dum in matris utero formareris: dicente ipſa Angelo nuncianti illam fore deiparam (quod nunq̃ antea imaginari,nedum credere potuiſſet) ſe ancillam Domini eſſe,ac eius ipſius uolũtati in omnibus paritúram. Docebas in ortu, quum cæleſtis angelorum exercitus frequentiſſimis laudibus tantæ natiuitatis tum primo notum myſterium proſequeretur. Docebas in præſepio dum ab oriente magi uenerunt,& tibi tanq̃ uero Deo, & uniuerſorum Principi ad tuos prouoluti pedes gratiſſima munera obtulerunt. Docebas cum matre fugiens in Aegyptum, quando atrociſſimi Regis dementiam detegi uoluiſti, Docebas puer, docebas adultus, docebas edens,bibens,orans,ambulans,uiuens,moriens, ſemper docebas, Dum cecos illuminares,dum claudos erigeres, dũ mortuos ſuſcitares, diſcipulos aduocares, præclariſſima ederes inſtituta,docebas,ut non minus animo, quam corpore ſanarentur infirmi, tuamq; uere in cibum carnem, & ſanguinem in potum aſſumerent

aſſumerent:ac ineffabilis deniq; Trinitatis glo-riam, ſuamq; ſibi paratam Beatitudinem cogitarent. Neq; tuis ſolum concionibus uera hæc, & præſtantiſſima Documenta dediſti, ſed etiam Diuinitatem tuam, ac Clariſſimam Maieſtatem, quam in ſupremum uſq; Cęlum rapti intuerentur, moxq; aliis explicarent, pluribus ex tuis diſcipulis oſtendiſti. Aurea hæc, & beatiſſima non peſtilétiæ, ſed perennis incolumitatis cathedra, hoc ſplendidiſſimum ſolium, in quo ſceptrum Maieſtatis tuæ refulget, tam bene firmatum eſt, ut ſit uſq; ad Conſumationem ſęculi Duraturũ.

BEATVS ergo, immo in ultimo beatitudinis gradu conſiſtet, Qui non in cathedra huius tuæ ſanctiſſime ſedi oppoſita permanebit. SED IN LEGE DOMINI VOLVNTAS EIVS, ET IN LEGE EIVS MEDITABITVR DIE, AC NOCTE.

SI enim in cathedra iniquitatis ſedere homo noluerit, uoluntas eius in tua erit Domine lege firmata. Lex tua ſancta, & immaculata conuertens animas. Lex legum, & Sapientia ſapientiarum. In qua omne implementum iuſtitiæ eſt poſitum, uniuerſus uirtutum habitus cõtinetur, humanarum actionum numerus conſumatur. Lex ſancta, quæ auerſas animas ad ſui cultum

conuertit, erigit, illuſtrat, perficit, & in longe fe-
liciorum ſortem commutat. Lex Domini ſuper
naturæ legẽ. Quæ ſatis eſſe non poterat: ꝙ aliud
explicandum eſſet, quã quod humana ratio con
cipere potuiſſet. Lex inde ſcripta eſt, & Moſi
Prophetarum Principi reuelata. In qua quum
meditaretur homo, ſaluus facilius futurus erat,
Quoniam ſacrarum inſtitutionum obſeruatio-
ne quid tuæ eſſet placitum uoluntati, cognoſce-
ret. At neq; lex iſta ſufficere uidebatur: ꝙ mul-
ta quidem omitteret, & latentia plurima conti-
neret, quæ ad ſalutem humani generis neceſſa-
ria eſſe uidebantur: neq; Lex ipſa erat, quæ pri
mi parẽtis ita labem auferret, ut Cęleſtis Regni
Ianua mortalibus aperiretur. Vera tua lex eſt
Domine per unigenitum tuum hominibus de-
tecta, Quæ & naturæ legem extulit, & ſcriptam
nobilitauit, & optatiſſimam ueritatem edocuit.
Non eſt alia hæc lex, ſed legis ipſius explicatio,
finis, perfectio. Quæ in ſe latenter cõtinebat illa,
hæc patefecit, & clariſſimis indiciis comproba-
uit, Vna.n. uera eſt Lex ex utraq; parte cõtexta,
una fides, una Religio, una Eccleſia, unum ca-
put, & unus Deus Dominus uniuerſorum, qui
eſt benedictus in ſæcula.

BEATVS igitur uir, cuius uoluntas Diui-
næ legi eſt, & ueritati obnoxia. In qua etiam me
ditabitur die, ac nocte. Eſt enim uoluntas, quæ
meditationem aſſiduam parit, Quoniam in Re-
gno animæ princeps eſt, & uiribus imperat uni
uerſis. Non una tantum poteſtate hominis bea
titudo, ſed uoluntate, & intellectu concipitur;
uelut etiam illa ipſa eſt, Quæ beatis a Deo opti-
mo maximo communicatur in Cęlis. Quis ergo
erit Diuinæ legi uoluntate affixus, & illam die,
ac nocte non meditabitur? Quis cęleſtem ac fla-
grantiſſimam poteſt conſequi caritatem, & fere
immenſo ac Clariſſimo lumine non afficietur in
mente? Mens eſt uoluntatis noſtræ auriga, Vo-
luntas princeps eſt mentis. Oſtendit illa, iſta
proſequitur, ſuoq; imperio illam efficit ſolertio-
rem. Voluntas ſancta, meditatio ſalutaris, Vo-
luntas tuæ uoluntati conformis, & meditationi
conſona meditatio; Voluntas tua ſumma lex,
Qua legis omne bonum ſancitur. Voluntas no
ſtra Domine uelut tuæ uoluntatis eſt umbra, ita
noſtra ſanctio infirma in tui numinis aſpiratio
ne firmatur. Si ergo uoluntas in uoluntate, Lex
in lege firmabitur; Si meditatio in meditatione
figetur, & beatitudo beatitudini copulabitur.
Statuiſti prouidentiæ tuæ lege unicuiq; fines, &

terminos indidiſti, Quos præterire non licet. Iugum tuum ſuaue, & modeſtiſſimum omnibus impoſuiſti, ac leuiſſimum æquoanimo ferenti onus ſuſtinendum mandaſti. Noſtræ ſeruitutis obſequium magna libertas eſt, felixqꝫ ſubiectio, qua tantus nobis Dominus comparatur. Felix inquam ſubiectio, qua dies, noctesqꝫ feliciſſimas ducimus, fortunæ ludibria ſpernimus, uno, & eodem modo tam in proſperis, quam in aduerſis nos ſemper habemus. fauſta nimis atqꝫ iucunda depreſſio, qua Pulſis tenebris appropinquantem lucem amplectimur, Et Dies noſtros antiquos, cum recentiorum Dierum lumine commutamus. Lege hac ſi quis ſe ornatum agnouerit, ornatiſſimus quidem habebitur.

ET ERIT TANQVAM LIGNVM, QVOD PLANTATVM EST SECVS DECVRSVS AQVARVM, QVOD FRVCTVM SVVM DABIT IN TEMPORE SVO.

Lignum ſine aquarum defluuio fructiferum eſſe non poteſt. Gaudet aquis arbos, & uita humore depaſcitur. Felices aquæ, quæ ex miſericordiæ fonte proueniunt, felicia flumina ſalientia uſqꝫ in uitam æternam. Iuſtus homo aquarum iſtarum muneribus afficietur, Quas quum ac

ceſſerit,etiam ſine argenti precio bibere magnā cum lętitia poterit, & poſt laborioſiſſimum uitę curſum ardentiſſimam ſitim extinguere. Non eſt actionum noſtrarum argentum ullum paratum ad aquas gratiæ conquirendas. Sed hæ ex ſola Dei liberalitate ſcatent, fluunt,irrigant patētiſſimos campos animarum noſtrarum. Auro Diuinum munus eſt ſimilie.A quo hominis argentum, ideſt meritum (Siquid in eo eſt,quod eo nomine appellandum ſit) uirtute, & precio maxime ſuperatur. Non emuntur Dei optimi beneficia,neq; ullis humanis actionibus ęquari ualent: Sed gratis omnia condonantur, gratis accipiuntur. Salutaris aqua non abluit modo, ſed etiam nutrit: Ab operibus ariditatem expellit,omnem expectationem implet, & ſatiat. Ad ligni ſimilitudinem plantati iuxta aquas ſe beatus habebit, quaſi ſine illis uirere non poſſe intelligatur. Nanq; arboris nomine poterat appellari, quæ uiuit: Sed ideo dictus eſt lignum, ꝙ niſi aquis Diuinæ gratiæ madeat, areſcat & concidat. Viuet ergo iuſtus uita per gratiam,& nutrimento aſſiduo conſeruabitur. Viuet in Eccleſiæ paradiſo uelut Chriſtus,qui ex uirginali utero prodiens humanæ Carni eſt inſitus, & a nobis omnibus adoratur. Viuet,& fouebitur lignū

ſi iuxta currentes aquas ſit poſitum. Nanq; ſtagna illi marcorem inferre ſolent, Et niſi curſu cõtinuo Dei beneficia affluant, ſpiritalem, & Diuinam uitam uiuere homo non poteſt. Lignum erat in medio paradiſi, uitæ, ſcientiæq; boni, & mali Dictum, quod a quatuor fluminibus ambiebatur. In medio humani cœtus cõſtitutus eſt iuſtus, Qui a uirtutibus quatuor enutritus Diuinitatis efficitur particeps.

QVI Etiam uelut arbos delicatiſſima ſuauiſſimos hac in terrena, & in alia, quæ Cęleſtis eſt, uita pariet fructus, ſuo Tempore iuſtitiæ opera proſequetur. ſuo tẽpore abſtinebit a malo, & operabitur bonum. ſuo tempore magno animo ſe habebit, & temperato, fortia aggredietur, faſtum contemnet, ſeipſum noſcet, Et ſuo quoq; tempore Deo coniunctus admirabilia, ac quæ natura ipſa non poteſt, efficiet. Scriptũ eſt enim ſiquis habebit tantum fidei, quantum ſynapis granum, montes illum uerbo transferre poſſe, mortifera propulſare uenena, ab obitu ad uitam homines reuocare. Vmbra petri ſanabat infirmos, apoſtolorum preces mortuos ſuſcitabant, Qui fructus ſuo tempore dabant, quibus eſſent Deo accepti, & humano cœtui ſaluberrimi. Magni ſunt quidem fructus, Qui ex hac beatitudi-

ne colliguntur in terris, ſed longe maiores, & ſua uiores ſunt, qui nos præſtolantur in Cęlis. Tem pus hi uarium atq; mutabile, quo ipſi quoq; pro feruntur, & decidunt, habent. Illi uero nullo tem pore mutabuntur, ſed in perenni dulcedine, & ſuauitate conſiſtent. Quando felix anima ſuos collectos cineres, inq; corpus, carnem, & oſſa con certos felicius quam ante, ſuſcipiet. Quãdo illis perpetuo, atq; indiſſolubili nexu coniuncta im- mortalitatis, ampliſſimiq; ſplendoris fructu de paſta iuxta choros Angelorũ poſita dulciſſima illa ambroſia, & nectare ſatiabit. Tũc enim eiuſ modi arbori (quæ in tipũ iuſti uiri accepta eſt) nihil deeſſe conſpicietur, Quod ad illius pulchri tudinem faciat, & ornamentum. Nempe

ET FOLIVM EIVS NON DEFLVET, ET OMNIA QVAECVNQVE FACIET, PROSPERABVNTVR.

NON defluent folia, q; uentis nequaquam agitabuntur, aut imbribus. Sed ſuauiſſimo rore aſperſa ſeſe in perpetuum continebunt. folia hęc ſunt in patria Beatorum ſpirituum corpora. feli- ces ueſtes, felicia indumenta. Quæ cum induen tibus immarceſcibilem gloriam ſunt aſſecuta. Folia hæc ſunt ſplendidiſſimæ locutiones, Qui bus beati altiſſ. ſupplicant, ab eo item reſponſa

capiunt,& humano generi ſuffragantur. Et ideo ſuper mel dulcia facta eorum dici queunt eloquia. Cęleſtib9 foliis terrena quoque folia correſpōdēt, ſi beatitudinis uinculo colligentur. Sacra.n.ſanctorum hominum uerba ſiue in Caſtigationem populi, ſiue in fidei documētum, ſiue in prophetiam ſint ab eis prolata (ſic permittēte Deo) non effluunt, uanaque eſſe nō poſſunt. Qui Deo aguntur, ſermonem Dei audiunt, & ipſius uerba pronunciant. Quibus idem loquitur inquiēs. Non eſtis uos, qui loquimini, ſed ſpiritus patris ueſtri, qui loquitur in uobis. Viuus autem eſt Domini ſermo, efficax, & penetrabilior omni gladio. Gladius.n. uſque ad animam peruenire non poteſt, quum ſolum corpus Dolore, uel interitu afficiat. Neque uiuus ille ipſe eſt, neque efficax, imo & uitæ, & fœcunditati cōtrarius. Non defluent uiri Eiuſmodi folia, non aduerſa fortuna ipſius afficientur opera: Omnia erunt in bono conſtituta, & bonis cogitationibus reſpondebunt acta īpſius. Quicquid aget, felici, fauſtoque Diuinæ gratiæ ſydere operabitur. Verba uerbis, opera operibus, Regio regioni, hic, & ibi ita cōueniet, ut ſiquis has, quæ Domini ſunt, uias cuſtodiat, ſupremam illam, & inuiolabilem ſubeat felicitatem.

NON SIC IMPII NON SIC, SED TAN QVAM PVLVIS, QVEM PROIICIT VENTVS A FACIE TERRAE.

QVVM.n.praua in cõſilia abierint, quum mandata Dei non cuſtoderint, Quum prauas, erroneas, & deteſtabiles peccatorum uias non ſolum inceſſerint, ſed etiam temerario auſu, & impudica fronte docuerint, non ſic beati erunt, ſed infelices, & miſeri. Quoniam qui neq; legem Dei meditatur, neq; in ea ſuam conſtituit uoluntatẽ: ſed Die, ac nocte in praua deſideria, atq; inhoneſtas uoluptates prolabitur, eſt ueluti aridum lignũ, non iuxta Diuinæ miſericordiæ aquas poſitum, aut tempore aliquo fructum daturum: Sed Neq; ullum, quo ſe tegere ualeat, folium obtinebit. Suaq; omnia dctõ, aut facto nec ſibi, nec aliis neq; in hac, neq; in futura uita proſpera fient: Sed tanquam puluis nullam habẽs ſoliditatem ſicciſſimus, humore diuinæ gratiæ pęnitus uacans, uento agitatus, diſperſus, Atq; ita a terræ ſuperficie, caritatiſque fundamento in auram uanitatis elatus, ut nuſquam inueniatur, ſed pereat ipſe, & memoria eius cum ſonitu. Fugiet Dei faciem, & nemo perſequetur illum, dolebit, triſtabitur, ignorabit, odio habebit, & quẽ odiſſe uoluerit, neſciet

IDEO NON RESVRGVNT IMPII IN IVDICIO, NEQVE PECCATORES IN CONSILIO IVSTORVM.

IMPIVS Cadet, & non reſurget, & ſi reſurget, non immutabitur, ſed in ſua miſeria conſtitutus maiores cruciatus & pęnas dabit, quam dederit unquam, & nullum ſuarum actionum iudicium expectabit. Nullum quietis, affabilitatis, Clementiæ, iuſtitiæ fomentum recipiet. Neq; in aliquo iuſtorum cōſortio deputabitur. QVONIAM NOVIT DOMINVS VIAM IVSTORVM, ET ITER IMPIORVM PERIBIT.

IVSTORVM uiam nouit Dñs, Quoniam bona, Quoniam ſancta, Quoniam in legis obſeruatione poſita. Nouit, & acceptauit, acceptauit, & ad perpetuam ſalutem direxit. Iter uero prauum, & iniquum, deteſtabile, & mille mortibus dignum, quod peragrarunt impii, atq; iniuſti cogitando, appetendo, agendo, perſeuerando Deo optimo erit ignotum. Non ignotum ſed deſpectum, ſed illi, & uoluntati eius cōtrarium. Ignotum erit, ꝙ ignobile, ꝙ infelix, ꝙ miſerum, ꝙ ab omni gratia, & iucunditate ſemotum. Neq; ipſorum impiorum uia, ſed iter dici promeruit. Solus.n. Chriſtus Rex magnus & Dominus ſe

ūiam uoluit appellare, Quæ in uitam, & ueritatem homines duceret. Qui uero calle alio ſenticoſas uitæ huius pertranſierit ſemitas, non per uiam, quæ uera eſt uia, ſed per deuium, & flexuoſum iter, Quo deniq; ab editiſſimis, Diuinæ miſericordiæ rupibus ꝑcipitet̃, dicit̃ inceſſiſſe.

IN TVA igitur uia conſtitue Nos Dñe, & conſtitutos conſerua, ut te authore, cuius gratia facti, redemptiq; ſumus, hymnum gloriæ Tuæ canamus, & tecum exuto mortali cortice perpetuo iubilemus: Veræq; beatitudinis compotes facti inceſſantibus uocibus proclamemus. Non eſt alius Deus niſi Deus nr̃. Cui Trino, & uno gloria, & imperium per infinita ſęcula amen.

IN PSALMVM QVARE FREMVERVNT GENTES QVI SECVNDVS EST, ET SINE TITVLO.

Cio Ego Domine Te rerū omnium cauſam eſſe, & nihil tuæ pietatis oculū ſubterfugere. Scriptū eſt enim omnia ſunt nuda, & aperta in conſpectu eius. Scio nō noſtrum eſſe cauſarum ſeriem perſcrutari, aut ſacrorū myſteriorum fines diſquirere: Quoniam corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, cogitationeſq; noſtræ admodū imbecilles, & timidæ efficiunt, ut imperfectum noſtrum minime cognoſcamus. Sed tui ipſi ſunt oculi, Qui debilitatis noſtræ miſerias intuentur, ac mortalium corda conſpiciunt. Quæ ſicuti ſingilatim tua ineffabilis prouidentia finxit, ita intelligit omnia opera eorum. Ipſe ſolus, qui ſit, diceris, ac tuo propterea infallibili teſtimonio, ꝙ ſacris literis, uatibus, ſignis, figuris, propria uoce ma-

ioribus noſtris locutus es, Principium appellaris. Nos uero nequaquã principia ſumus, immo neq; uere ſumus: Et ſi ſumus, in te omnia noſtra ſunt. In quo uiuimus, quieſcimus, & mouemur. Quo itaq; pacto poterimus Diuina filii tui, Quem in mundum miſiſti, paſſionis myſteria pandere? Vaniſſimam gentium uanitatem exprimere? Inſanas populorum in eum meditationes pro meritis explicare? Et ſi.n.magna res eſt de terrena, ac Cęleſti beatitudine exactam facere mentionem: De paſſione tamen Seruatoris noſtri Ieſu, Quæ pro ſalute hominum ab æterno inſtituta fuit, ſatis loqui non poſſumus. Hæc tanq̃ medium oportunum infirmitati, lapſuiq; noſtro conueniens in illam, uelut in optimum, & deſideratum finem dirigitur: ac ea potiſſimũ ratione ſe nobis offert, de cuius laudibus poſt eam te Duce, toto corde, & animo pauca commemoremus, atq; in hunc modum incipiamus.

QVARE FREMVERVNT GENTES, ET POPVLI MEDITATI SVNT INANIA?

Non poſſum ego, qui homuncio quidẽ ſum? & tenebrarum harum caligine obumbratus, gentium ruditatem, aut immanitatem, neq; cauſam eius exprimere. Qua tot, & tanta aduerſus

tuam Domine ueritatem locutæ ſunt,& pruriẽ tibus auribus inania uerba profuderint. Tot retro ſęcula imbibitas impietates ſic atteſtatæ ſunt,ut nõ facile ab eis illæ dimoueri potuerint. Fremuerunt gentes antequam legis tuæ Patri bus noſtris ſacratiſſima rudimenta dediſti.Fre muerunt,dum naturæ inſtitutis ,quæ certe ne gare non poterant,reſtiterunt.fremuerunt dum ſuperſtitioſam , & neſcio unde effluxam Deorũ multitudinem prędicarunt.Dum ſacrificiorum ritus,aruſpiciorum leges,portentorum indicia, Sibyllinos interpretes,idolorum cultus,& mille inſanias obſeruarunt.Fremuerunt ore , & corde a malis, tabidiſq; ſententiis ita commotæ ſunt, ut a recta, & naturæ , & tuæ ueritatis ſemita de clinauerint.Fremuerunt gentes,quum tuam ſta tuiſti legem hominibus pandere , populumq; tibi,ac tuo ſanctiſſimo nomini nuncupatum eli gere.Prius.n.gentes erant , & ſi forte non nomi ne gentium appellatæ.Quę ſagaciſſimæ naturæ præceptis , & delectis uirtutum moribus officie bant. Gentes item a datæ legis obſeruatoribus mancipatæ , ita uocatæ ſunt , ꝙ communi quo dam delirio,& naturæ,& Diuinæ iuſtitiæ eſſent infenſæ.Communiores dictæ ſunt gẽtes,populi ſelectiores.Quos dum & animo peruerſo ſeſe ue

ritati oppoſuerunt, & aduerſus illam erroneas ſententias promulgarunt, aporum, aut Leonum fremitum imitatos Diuina deteſtantur eloquia. Fremit aper paſtus de ſilua exiens, & furore concitatus uiam, quam cępit, non deſerit. Fremit, & rugit Leo latiſſimos ferarum campos circuens, ut ex illis quærat, quam deuoret. Scriptũ eſt enim ſuper eum rugierunt Leones, & dederunt uocem ſuam: Libera me Domine a perſequentibus me, ne quando rapiant, ut Leones animam meam, & non ſit, qui me de manibus eorum eripiat. Aperte iraſcitur Leo, & totis uiribus concitatur in hoſtem: neq; ſolum iraſcitur, aut concitatur: ſed præmiſſo rugitu, & gemitu furoris ſui, quo accenſus eſt, immanitatem declarat. Hæc ſunt iniquorum hominum aduerſus te Domine, & pietatem tuam apertiſſima prelia. Hæ myſteriorum tuorum publicæ prophanationes. Hi ſunt, de quibus ſcriptum etiam legitur: Hi deuorant plebem meam ſicut eſcam panis. Vorant animam meam, qui perdere illam, & in gehennam perennem mittere ſatagunt. Vorant, & perdunt, qui ſerratis dentibus piis ouibus, ut tabeſcant, acerbiſſimos morſus incutiunt. Quæ tamen tuo adiutę numine eorum fremitum non pertimeſcunt. Sed tabeſcentes illi in furore ſuo

deficiunt: & una cum ſuis deſideriis perire coguntur. Fremuerunt ergo hi Leones, & apri aduerſus te Domine, q̃ ſanctiſſima Trinitatis myſteria non agnouerunt, aut moniti non admiſerunt. Fremuerunt, dum conditorē Cęli & Terræ inficiati ſunt: Dum omnipotentiam tuam/tuam maieſtatem nō adorarunt: ac in ſuis execrandis ſententiis permanētes a te rerum omnium prouidentiam ſuſtulerunt.

SED Quare tanto tempore fremuerint gentes, adeoq; in ſuo fremitu perſeuerauerint, explicare nequimus, niſi q̃ proprio arbitrio nullis rationibus motæ in reprobum datæ ſunt ſenſum. Verum cur ita ipſe, Qui ſcrutaris hominum renes, & corda, in errorem illas incidere, aut diutius ante legis inſtitutionē perſeuerare permiſeris Domine, neq; audeo, neq; certe poſſum ęquis uerbis exprimere. Adhæret lingua mea ori meo, & exigua uox faucibus meis præcluditur. Immenſa tua ſunt certe iudicia, & qui uias tuas ingenio non dicam attingere, ſed ne quidem cogitare ualeat, datum eſt nemini. Non poterāt gentes natiuo ſuo, & tenuiſſimo lumine quæ Dei ſunt, agnoſcere, neq; liberius penſitare. Atq; ideo cur tuam illis tamdiu ueritatem abſconderis, eamq; mox tuis paruulis reuelare uolueris, hoc

eſt, quod humanum angit, & cruciat animum?
Quæcunq; uolueris, recta ſunt Domine, ſed cur
uolueris, non eſt noſtrum diſquirere, aut modo
aliquo cogitare. Summa es tu bonitas, immo bo
nitatum omnium fons, & origo. A qua omne da
tum optimum, & omne Donum perfectum ma
nare perſpicitur. Ideo recta ſunt omnia, ꝙ eadẽ
uelis. Non autem illa ipſa uis, quoniam recta
ſint. Dicam tamen balbutiens quæ mihi tuæ in
effabilis pietatis radio oſtẽdere uoluiſti. Dicam
quidem, ſed non ad cordis, & animi ſatietatem,
quod tibi tuæ prouidentiæ arcana myſteria re-
ſeruaſti, Vt te Deum, & ſuper choros Angelorũ
conſtitutum oſtenderes: Diuinitatiſq; tuę ueluti
ſcintillis quibuſdam demiſſis pro imbecilli eo-
rum conditione (ita ornatu rerũ ferente) ad ful
gentiſſ. ſplendoris tui ſolem homines allicerẽtur.

ERAT a Principio ſuis innixa uiribus
munita natura. Quæ cum ſua culpa a tam felici
bus primordiis defeciſſet, totam inde ſuſceptam
progeniem obcecauit. A quo tempore uſq; ad le-
gis gratiæ conceſſionem ſatis reſpirare non po-
tuit. Sed ueluti per latebras quaſdam incedens,
aut potius in obſcuro quodam Antro reuincta,
modico affecta lumine, quæ ſua eſſent, non tua
Domine intelligere, credere, aut commemorare

ualebat. In deteſtationem Criminis id eis noxæ datum fuiſſe reor. Tu ipſe, quem alloquor, uera; nec ne dico, declara, ea ipſa admitte, uel reiice. Purgatum eſt tanta mora delictum. Sed non ita certe purgatum, ut in iis, qui in lege gratiæ, legiſq; conſumatione ſunt, eius fomites, & Reliquiæ nullatenus inueniantur. Naturæ defectui Lex ipſa ſucceſſit, Legi uero conſumatio ueritatis. Vt poſtquã a ſua pręſtantia defeciſſet homo, triplici ordine ſe ad eam, unde receſſerat, gratiã, & gloriã rediturum cognoſceret. Ordine cuncta diſponi, ac diſpenſari uoluit Deus: Eoq; numero celebrauit, qui ſuæ eſſet ingenuitati, & communicationi ſimilior. Trinus ipſe tria hominibus tempora, quibus ad ſe illos traheret, ordinauit. In quibus dum uellent, oportune ad ſalutem ſuam proficerẽt. Tribus interuallis eorum eiuſmodi paleſtram diſtinxit, ut quam difficilius ſit ad eum locũ redire, unde homo ceciderat, agnoſcatur: quumq; ad temporis cõſumationem deuentum fuerit, longe magis Diuinæ pietatis opera deſiderentur, & animæ iuſtorum proficiant. Hac ergo de cauſa gentes permiſſæ ſunt in ſuo fremitu perdurare, & electi populi in meditationibus uanis conſiſtere.

SED Quare fremuerint gentes aduerſus

Dominum poſtquam lex ipſa, & legis imple-
mentum aduenerit, quum eis datum eſſet poſſe
attingere ueritatem: Cur aduenienti lumini ce-
cos oculos non expoſuerint, interrogatæ ſe excu-
ſare non poterunt. Non excuſabitur Ethnicus,
quoniam ſalutaria uitæ remedia proſequenda
omni tempore Deus inſtituit. Non excuſabitur
Hebræus, quia legis beneficio donatus non ore
fremere, nec corde meditari inania debuiſſet.
Non excuſabitur Chriſtianus, quum ſub ſan-
ctiſſimo crucis uexillo de tenebris, de interitu,
de acerrimo demum hoſte legitime triumphaue
rit, Duo. n. ſunt Populi, quos tibi elegiſti Domi-
ne ab æterno. Qui ueluti duo candelabra ſplen-
dentibus facibus ornata toti Terrarum Orbi
Clariſſimam lucem dederunt. Quorum alter, &
ſubſequens præcedentis perfectio eſt, Alter uero
præcedens, eius, qui ſequitur author, ac inſtitu-
tor. Receſſit uetus, & imperfectus eſt, nouus ſuc
ceſſit. Qui quod priori deerat, ſuppleuit. Neq;
duo tantum Candelabra hic duo dicti ſunt po-
puli: ſed duo etiam calathi. Quos bonis & malis
ficis repletos ſe ante templum Domini uidiſſe
meminit Hieremias. Super illum oculos tuos
ponere ſtatuiſti Domine. Et deduxiſti eundem
in terram fluẽtem lac, & mel. Confirmaſti eum,

erexiſti,dediſtiq; illi cor non lapideum quidem, ſed carneum. Quo te noſceret,ſicq; ad te rediret, ut tu illi in Deum fieres: Ipſe uero a te in Cariſſimum populum haberetur. Hic uero non egrediens uetuſtatis fines in ſua obſtinatione marceſcens inter blaſphemais cōſtitutus eſt, gladii, peſtis, inediæ afflictione uexatus. In utroq; calatho non ita ſunt ficus diſtinctæ, ut cum malis bonæ,& cum bonis malæ haud facile ualeant reperiri: Sed illæ ſolo nomine bonæ: hæ uero malę appellatæ ſunt. In utroq; populo erant, qui inania contra Dominum meditarētur, & aduerſus Chriſtum eius ſuæ iniquitatis tela dirigerent. Ex iudeis reperti ſunt, qui Deum ipſum crederent: Et qui tanquam hominem, non Deum eundem crucifigendum aſſererent. Erant, qui dicerent. Memento mei Domine, quum ueneris in regnum tuum. Et alii. Vere Dei filius erat iſte: Non deſunt ex chriſtianis uiuo ablutis flumine, qui malis quotidie operibus Dominum crucifigant: Atq; mille errorū laqueis irretiti inania cogitent, ſuamq; denigrent, Quam ſemel a Deo gratis acceperant, pietatem.

CVR Ergo tam hi quam illi tot beneficiorum immemores ad eum ingrati animi gradum peruenerint, cogitent, & in hunc modū Diuino

afflante ſpiritu interroganti mihi reſpondeant: Popule Iſrael quid fecit tibi Deus tuus? Quid fecit, ut in eum inſurgeres? Nonne ille ipſe Deus eſt, Qui uos Aegyptiorum ſeruitutis iugo teterrimo liberauit? Qui manna in deſerto de cęlo pluit? Qui pro muris ex utroq; latere aquas, ut per ſiccum rubri maris ueſter trāſiret exercitus, conſiſtere fecit? Nonne ille ipſe Deus eſt, qui uobis legis tabulas digito ſuo deſcriptas dedit? Qui facie ad faciem uobis locutus eſt? Ad quorum preces ſolis curſum firmaſſe legitur: Neq; ſolum firmaſſe: uerum etiā beneficii ueſtri cauſa a ſolita eius rotatione magno temporis ſpatio retrouertiſſe. Nonne ille ipſe Deus eſt, Qui pro uobis tot mirabilia fecit? opes contulit, regnum dedit? Quos etiam Clariſſimis uictoriis auctos incredibilis ſapientiæ felicitate donauit? Nonne (reſpondete mihi quæſo Iudei) ille ipſe Deus eſt, quem ſanctiſſimi maiores ueſtri, quibuſdā ſignis, & imaginibus coluerunt? prædixerunt uates, optarunt populi, ac ut ab eo ſalutem acciperent, expectarūt? Cur ergo aduerſus illum inania meditati a legibus, a prophetis, a ſignis, ab imaginibus, a ueritate, a uobis ipſis deniq; receſſiſtis? Nonne toties exclamaſtis? Non eſt alius Deus, niſi Deus noſter, qui faceret mirabilia ſo-

lus, qui redempturus eſſet Iſrael de manibus inimicorum ſuorum. Qui uobis pacem perennẽ & perpetuam animi tranquillitatem adduceret.

SED Et uos, Qui eſtis ueritatis lumine illuſtrati, de quibus ſcriptum eſt. Lux orta eſt eis, quos filiolos Ioannes uocat, arrigite aures, & attendite. Cur contra Dominum inania potius, quam uera, & proficua meditamini. Dum in peccatis ueſtris quotidie emoriẽtes, illum, & mandata eius deſpicitis. Dum uitam in uobis, & fidem indies extenuatis. Meditamini inania quum ſenſuũ laqueis prępediti nõ ambulatis in uia iuſtitię, & ueritatis. Meditamini inania, quũ dimiſſis propriis, quæritis aliena, & animas ueſtras nequaquã habetis in manibus ueſtris. Sed in malignorum ſpirituum poteſtate relinquitis. Pro uobis homo factus eſt Deus, pro uobis inter hominũ ergaſtula cõuerſatus. Pro uobis paſſus, acriterq; cruci inter duos Latrones affixus. Pro uobis ardẽtiſſimæ Caritatis igne accẽſus ſuã animã poſuit. Peccata ũra, ũra ſcelera, ueſtras iniquitates ęquo animo pertulit, Sanguinem fudit, & tanquã ouis ad occiſionẽ ducta uitã cum morte acerbiſſima cõmutauit. Vos autẽ inania, & quæ mundi ſunt, cogitantes, illiſq; totis uiribus inhærentes eum ipſum ſpernitis authorem ueſtrum

patrē, & inſtauratorem negligitis, immo labiis ueſtris, & cordibus quotidie laceratis, & crudelius, quã iudei, cruci cõfigitis. De quibus ſcriptũ eſt (ut ipſe bone Ieſu per prophetarum oracula meminiſti) filios enutriui, ipſi autē ſpreuerunt me. Enutriuit uos Dominus ſpiritu, & Diuinitate. Enutriuit moribus, & diſciplina, Enutriuit ſanguine, afflictione, cruce, interitu, Atq; ita tuũ hunc populum nouũ Dñe enutriuiſti, ut ſacerdotale genus, gentē ſanctam, Regiã proſapiam illũ appellare uolueris. Quē itē ſic incredibili pietate tua fouiſti, ut e baratro inferni, de inferiore lacu, de miſeriarũ meandris ereptus tecum omnibus ſæculis habitaret. Cur ergo inania meditet̃ hic, ac ille iampridē cogitauerit populus, qua rõne tanta impudētia innumera bñficia recompēſet, quas gratias egerit, hēat, aut referat hic, uel ille retulerit, tu quęſo Dñe inſpicias, ſimul & cures, ut qñq; in melius erecti ſeipos uelint agnoſcere. Non ſolũ aũt gētes, & populi, quomodo ſe habuerint heſitandũ: Sed de aliis etiã, unde ſuũ fomentũ acciperēt, inquirendũ his uerbis. Quare ASTITERVNT REGES TERRAE, ET PRINCIPES CONVENERVNT IN VNVM ADVERSVS DOMINVM, ET ADVERSVS CHRISTVM EIVS.

NON Satis erat populis in uiam, ueritatem,& uitã execrandis ſuis conſiliis conſpiraſſe, niſi Reges terræ,& Principes illis etiam aſſentirent? Quibus iniquiſſimas manus dederunt, ut lapidem illum pariter reprobarent, qui mox caput anguli factus eſt. Cœperũt ne Populi (bone Deus) & Principes ſecuti ſunt illos? an potius Reges Terræ cęperunt? a quibus Populi omnẽ uitæ rationẽ accipiunt? Cautiores ſunt illi (mihi reſpondere uideris) hi uero mutationi magis obnoxii. Illi Regni priuationem pertimeſcebant. Hi nouarum rerum admiratione confundebantur. Audiunt iſti primum, & commouentur intus, mox ſtatim Regibus uiſa, & audita denunciant. Reges delata accipiunt, commouentur, ac præ aliis uana, fruſtratoriaq; conſilia in Dominum moliuntur. Aſtiterunt igitur Reges terræ animo in primis, deinde operibus aſtiterunt, & ſimul inutiles facti ſunt. Conuenerunt. n. Quoniã prorſus Diuinitatis expertes, ut Terræ dicti ſunt Principes, ita una, & eadem ratione terrena ſolummodo cogitantes ad cęleſtia caput tollere noluerunt. Poterant. n. & rationibus, & apertiſſimis ſignis, quæ fecerat Dominus, eis animo hærere, ac fide, teſtante diuino eloquio. Si mihi non creditis, ſaltem operibus credite. Poterant

Reges, & Principes & præſtantiſſimo rerum ordine Dei ſingularitatem, & Principatum ſuſpicere: Ex principatu, optimaq; eius natura ſummam in eo prouidentiam, & libertatem coniicere: Et ex utraq; illius infinitudinem, & mundi creationem admittere: Sed ad ſenſum, & terrena ſemper intenti decepti ſunt, ac cum uaniſſimis gentibus in caſſum aduerſus Dominum conſpirarunt. Ne forte a terreno eiuſmodi, falſoq; creditæ ueritatis Principatu deciderent. Sed ueritatem ipſam obtegere nequiuerunt. Poterant naturæ legem ſeruare, & in uaniſſima deſideria, ac machinationes nequaquam abire. Poterant iudeorum Principes, & Phariſei chriſti Seruatoris originem inſpexiſſe: non ad Terrenam ſolum ditionem, & imperium oculum habuiſſe. Poterāt eum ipſum inſpicere, quod cecos illuminaſſet, claudos erexiſſet, mortuos ſuſcitaſſet. Poterant eius admirabilem ſapientiam, & Diuinas conciones imbibere: Deq; ſeipſo loquentem, quod legem minime ſoluturus u[illegible]et, audire. Poterant eius innocētiam, ſanctitatem, Diuinitatem innumeris comprobatam operibus noſcere. Sed ad Cęleſtia oculos erigere noluerunt. Id maxime uos Reges terræ, & Principes agere decuiſſet. Quoniam Rex ille uerus eſt, & Princeps, qui

uirtute, & ſapientia cęteris antecellit. Qui aliis iuſtitiæ, & ueritatis lumen effundit. Quid ueſtro ambitu nulla ne dicam legitima, ſed ne probabili quidem ratione commoti in eum Principes conſurrexiſtis? Quid ueſtra inuidia, & iniquitate, quum nulla in eo ſanguinis, mortiſue cauſa reperta eſſet, alter alteri iniquiſſimum iudicium demandaſtis? Negat hic ſe de ſanguine iudicare debere, aſſerit tamen expedire, ut unus pro populo moriatur, ne tota gens pereat. Nullam mortis cauſam inuenit iſte, & tamen populo ſecundum legem iudicandum, atq; interimendum illum condonat. Timebatis Principes, & Phariſei Romanos uobis ablaturos imperium, ſi permiſiſſetis uiuere, quem, ſe iudeorum Regem dixiſſe cauſabamini. An neſciebatis non eſſe conſilium contra Dominum? Si.n. (ut ex ueſtris locutus eſt alius) ex Deo erat ea Chriſti Seruatoris profeſſio, utiq; diſſolui non poterat. Si uero ex Deo non erat, non oportebat dubitare illam diutius duraturam. Vnde itaq; tanta rabies animorum? unde furor? unde immanitas? Credebatis o Principes ueſtra Deũ latere corda? aut illi ueſtrã abſconditam impietatem? Quãdo ab eo interficiendo homine ueſtras manus ſubtrahere ſimulabatis. Quando mortis iudicium

ſubterſugere uidebamini. Quãdo uerba menti, atq; opera uerbis cõtraria licebat inſpicere. Sunt ne iſti Principes illi? de quibus ſcriptum eſt. Super cathedrã Moſeos ſedebunt ſcribæ, & pharisei iudicãtes duodecim tribus Iſrael? Sunt quidem, ſed quomodo ſcribæ, & Phariſei Principes habebantur? Scribebant leges illi. Hi uero ſecundum leges iudicia proferebant. Atq; ita propria authoritate ſcribere poterant, ut illi ipſi, qui iudicarent, etiã principes eſſe uiderentur. O pharisei nonne illi eſtis, qui & ſanctiſſimum uitæ nomen, & ab aliis diſtinctum habitum ferebatis? Qui non ſolum legis pręcepta obſeruare, aut ſcripta aliorum more intelligere uidebamini. Sed etiam Legi, uitæ acrimoniam iniungebatis, & iudicio ueſtro ſcrutabamini altiſſima ſacrarũ editionum ſecreta? Nonne modo, quando conueniſtis in unum, & in chriſtum Dominum cõſpiraſtis, iidem eſtis: Qui olim ſumma innocentia, ſumma animi puritate ſine fuco, ſine concupiſcentia oculorum, & carnis humillimam uitam agentes eratis tanquam Dii ab omnibus celebrati? Si illi ipſi eſtis, unde hæc dominandi libido? Vnde hæc tam Dira, tam iniuſta aduerſus optimum, ac Diuiniſſimum hominem, & ſubita conſpiratio? Non audiebatis illum dicen

tem ſe totis uiribus ad legis implementũm ue-
niſſe? Nonne quot,& quanta iuſtitiæ opera edi-
diſſet,erat inſpicere? Nõne uobis ille ipſe palam
ante ora ueſtra locutus eſt? Inquiens,multa qui-
dem coram egi, propter quod nam eorum me
quæritis interficere? Regem ſe iudeorum facie-
bat. Nonne audiuiſtis Regnum ſuum non eſſe
mundi huius aſſerẽtem illum, Voſq; ipm̃ Regẽ
dicere ueſtris aſtubus reſpondentẽ? Rex quippe
erat,& Dominus, ac Regũ omnium Princeps.
Sed quia ex mundo,non ex Deo eratis,Principa
tum eius,& Regnum ueſtra inſcitia,iniquitate,
liuore agnoſcere non poteratis. Venient Roma-
ni,& Regnum noſtrum accipient (dicebatis)
ſi illum dimiſeris. Quem,quod non dimiſiſtis,
uenerunt certe Romani, & a uobis ſublatum
Regnum funditus euerterunt. Venerunt, ac ita
uos,urbemq; ueſtrã Hieroſolimam obſederunt,
ut inedia pereuntes coacti ſitis obſtinatiſſimam
ueſtram ſuperſtitionem deponere. Venerunt in
quam, & ob impietatem ueſtram uos ſubiuga-
runt Romani: Nomẽq; ueſtrum,& ſinagogam,
& templũ,& reliqua omnia deſtruxerunt. Nõne
audiuiſtis pientiſſimum ſeruatorem Ieſum,quũ
tanquam agnus mactandus extra Hieroſolimã
duceretur,caſum,& ruinam ueſtram obortis la-

chrimis deplorantem: & dicẽtem: Hieruſalem, Hieruſalem, quæ occidis prophetas, ueh tibi. Veniet.n.tempus, quum ſuper lapidem non erit erectus lapis. Nonne audiuiſtis o infelices ſacerdotum Principes, & Phariſei, quum eo ipſo tempore complures mulieres eius acerbiſſimã paſſionem flentes inuenerit, eundem talia proferentem: filiæ Hieruſalem nolite flere ſuper me, ſed flete potius ſuper uos, & ſuper filios ueſtros. Intuebatur progeniei ueſtræ ruinam Ieſus ob peccata ueſtra, & ſęuiſſimam in eum impietatem. Inſpiciebat maximam, & incredibilem fortunarum omnium ueſtrarum, & imperii euerſionẽ. Et non ſolum id, uerum etiam ueſtram diſperſionem, miſeriam, fugam, diſſipationem proſpiciens indolebat. Audiuiſtis hæc omnia, ſed non aduertiſtis. Quoniam infrenes in illius exitium tendebatis, Veſtroq; tabidiſſimo ambitu obcecati, quæ Dei eſſent, non poteratis mente concipere. Eratis tunc omnino iidem ſeruato nomine, & habitu, qui quandoq; puritate uitæ, & ſanctiſſimis moribus cæteris exemplo, & admirationi fuiſtis. Sed commutata profeſſio effecit, ut impietates eiuſmodi exerceretis, ac ſine ulla ęquitatis, aut ueſtri nominis ratione quæ mundi eſſent, ſolummodo curaretis. Iam ueſtra cauſa ad

id obprobrii deueneratis, ut onera inſupportabi lia aliis iniungeretis: Quæ tamen uos, ne digito quidem contingere uolebatis. Veſtra hæc inſania, quæ populari aura paſcebatur, Chriſtum, in quem ueſtra iacula direxiſtis, uobis ignotum reddidit. Nanq; ſcriptum eſt a ſpiritus ſancti precone. ſi Regem gloriæ agnouiſſent iudei, nequaquam chriſtum Dominum crucifixiſſent.

CHRISTVS erat, & Dominus, quod in Regiæ maieſtatis ſignum eidem unctio capi tis debebatur. Vnctus capite Ieſus, quoniam po teſtas, & imperiũ ſuper humerum eius. Vnctus ſpiritu, quod ſuper omnes gentes ſua ineffabili pietate mitiſſimus. Vnctus Diuinitate, quia Dei filius idem patri ſubſtantia crederetur, & eſſet, ut ſuo Clariſſimo manifeſtauit eloquio. Vnctus ſapientia, quæ iudeos paſſim confunderet, & æterni patris gloriam demonſtraret. Vnctus caritate, ob id, quod animam ſuam poſuit pro oui bus ſuis. Pro quarum etiam ſalute ferre non dubitauit extremum uitæ ſupplicium. Vnctus elo quio, quoniã non eſt inuentus dolus in ore eius. Totus unctus, & ſanctiſſimis operibus redolẽs, uerbaq; uitæ æternæ habens ineffabilis fragrañ tiæ, & Diuinitatis monumenta reliquit.

HAEC ad Reges terræ, ad Principes huius

ſęculi,& ſacerdotes peruenire nō poſſunt:Quod uanitate ſua nō ſolum bonarū actionum guſtu, ſed etiam olfactu priuati ſunt. Hi perſecuti ſunt Dominum,& animas ſuas. Hi ſunt,qui nouiſſimis etiam temporibus cum inſipientia, odiis, furoribus pariter, & immaniſſimo ambitu coinquinati ſanctiſſimam Chriſti tunicam ſcindūt, & lacerant. Hi ſunt, qui atrociſſimis bellis miſerorum populorum ſanguinem quotidie effundendum procurant. Hi ſunt, qui noua indies dogmata, noua machinamēta in eccleſiam Dei, in Chriſtum eius & ſinceriſſima ſacramēta confingunt. Hi ſunt,qui facies ſuas lauant,ut ab hominibus conſpiciantur,digitoq; monſtrati ſimulationis meritam mercedem recipiunt. Hi ſunt, qui ſuis confiſi uiribus,& ſapientia ſe cęlum rapere arbitrantur. Et quoniam in ſublimi cogitatu ſunt poſiti, merito decidunt in profundum. Scriptum eſt.n. perdam ſapientiam ſapientum, & eorum conſilia reprobabo. Hi omnes ſunt,& eiuſmodi alii,qui ſua culpa decepti uanis, & leuiſſimis cogitatiōibus acti ſunt,Et ſe Deos mundi huius, atq; perpetuos credunt, inſurgentes contra Domini poteſtatem, & Chriſti ſanctiſſima inſtituta. Quorum artes, quoniam deſpectæ ſunt,& fere pęnitus uiluerunt, quod reliquum

eſt deceptionis, impetus, & uanitatis a noſtris humeris excutientes dicamus.

DIRRVMPAMVS VINCVLA EORVM, ET A NOBIS PROIICIAMVS IVGVM IPSORVM:

SVNT .n. nobis dirrumpendi laquei innumeri diabolicæ ſeruitutis, quam quiſq; propria culpa ſubire conſpectus eſt, rumpendi itaq;, ac penitus ſi fieri poſſet, tollendi, ut lucis filii efficiamur, qui eramus in uanitate noſtra aliquādo tenebræ. Dirrupit Deus Tumidiſſimarum gentium ruditatem, elatiſſima earum, quæ Demonibus ſubiecta erant, imperia deſolauit, Naturæ uincula ſoluit, & arctis eam ligaminibus compaginauit. Superſtitioſa legis fundamenta dirrupit, & literæ iugum ſenſu ſpiritali diſiecit. Legis caliginem, non ipſam legem diſſoluit, immo infirmitate, qua diu affecta fuerat, liberauit. Purgauit Deus, quæ ſordibus erant immixta. Purgauit, & tanquam aurum igne examinatum in delitiis habuit. Dirrupit Deus uaniſſima iudeorum conſilia, Execrandas conſpirationes confregit. Aeternæ mortis morſus, & inferni uincula ſcidit. Laceratam noſtræ imbecillitatis compaginem ſolidauit, Difficillima iuga a miſeris mortalibus ſuſtulit. Sanguine ſuo iniquitates noſtras

a noſtris humeris propulſauit. Solutis parētum uinculis noſtræ originis defectum ſuppleuit. Maiorum noſtrorum compedes fregit, ac eoſdē e carceribus tetris eduxit. Cęli ianuam aperuit: Nos pro duriſſima ſeruitute perpetua ingenuitate donauit. Lapſus noſtros non meminiſſe conſtituit, Claudicationes noſtras in uiam ueritatis erexit. Noſtra, quæ quotidie fiunt, naufragia dum uelimus, inſtaurat. Salutis portū oſtendit, ac malarum meditationum pondus a nobis procul abducit. Fallax ſenſus, fallax opinio, fallax omnis cogitatio noſtra ſine te Domine. Fallax Demon, & piarum animarum Tyrānus. Quem formaſti ad illudendum ei. Fallax & mendax homo, qui in uia uirtutis tuæ non ambulauerit: Solus tu uerax es. Tu ſapiens ſolus. Qui ut uis, noſq; parati ſumus, ita cordibus noſtris aſpiras. Sin uero inepti fuerimus, & imparati, de nobis proculdubio ueluti ſentiendum, ita etiam dicendum credimus.

QVI HABITAT IN CAELIS IRRIDEBIT EOS, ET DOMINVS SVBSANABIT EOS.

TVNC.n.erimus ſicut ii, qui aduerſus te locuti, aut meditati ſunt iniqua. Irriſerunt te, & mouerunt caput, manibus percuſſerunt dicen-

tes uah prophetiza quis te percuſſit? ſi filius Dei es, fac te ut Deorſum e cruce mittas. Alios ſaluos fecit, ſeipſum conſeruare non potuit. Tu irrides illos, quod terreni quidem ſunt, & Cęleſtem ueritatem ſua induratione ſcādere noluerunt. Irrides, quoniam ſpernis, & in peccatis ſuis emori ſine tua culpa permittis. Irrides, quod ſeipſos in uanis deſideriis enutriti deceperint. Irrides, non quia eorum fraude, & deceptionibus gaudeas, Sed irrides, quoniam irridendi ſunt ob uanos eorum in nomen tuum, & pietatem conſenſus. Decentiſſima quidem tua in eos erat irriſio Domine, ut iuſtitiæ opera manifeſtares. Non. n. qui ſeipſum derelinquit, amplecteris, & qui leuiſſima ſemper iactatur aura, in gratia tua eſſe, aut confirmari non poteſt. Dum peccant homines, & in ſuis iniquitatibus perſeuerāt, licet irrideas, ac ut ſeſe colligant, percuncteris, non tamen noſcunt tuam in eos irriſionem. Nanq; ſi illam perciperent, in poſterum a te minime irriderentur. At quum tempus perpetuæ, & irreuocabilis irriſionis aduenerit, quando non ipſe ſolus eris, qui illos irrideat: Sed omnes pariter iuſtorū animæ una cum Angelis irridebunt, tunc errores ſuos, & cauſas irriſionis agnoſcent. Quando certe (ut reor) noluiſſent te, legemq; tuam ſanctiſſimam

omiſiſſe, ſed in obſeruatione mandatorum tuorum dum uiuerent, permanſiſſe. Vere inquam, & iuſte tunc irridebis eos, ac tanquam uerus, iuſtuſq; Dominus ſubſanabis. Non. n. ſatis pro eorum uituperio erit irriſio, ſed ſubſanatio ſubiungetur, qua uideant non eſſe apud te amplius miſericordiæ locum, ſed in miſeria conſtituti deſperent. Subſanabis eos, & ab eiſdem oculos tuos auertes. ſubſanabis, naribuſq; corrugatis oſtendes, quoniam indigni fuerint, ut uirtutis tuæ digitis demonſtrarentur. Dei. n. digitus ſancti ſpiritus uis interpretatur. Qua, quum inique gentes, & populi naturam, legem, Dominum, & Chriſtum eius neglexerint, agentes, & cogitantes inania, ſunt in perpetuum cărituri. Quocirca de te ipſo, qui es Dominus uniuerſorum, dici legitime poteſt.

TVNC LOQVETVR AD EOS IN IRA SVA, ET IN FVRORE SVO CONTVRBABIT EOS.

IRA Tua, & furor tuus in eos erit, quoniam ſpreuerunt te, conturbabuntur, quia cogitare nō poterunt, quo pacto te Dominum tot ſignis, & prophetarum oraculis non agnouerunt. Neq; ſolum non agnouerunt, ſed etiam acriter perſecuti ſunt uſq; ad mortem, mortem autem crucis. Nō

Non erit eiuſmodi ira tua, quæ te mutabilem faciat, aut furor, qui mentē tuam inficiat. Sapientiæ. n. & uirtutum tuarum non eſt finis, aut numerus. Sed irę, & furoris noſtri ea ſimilitudo eſt, qua irreuocabilis iuſtitiæ opera manifeſtentur. Quibus miſeri mortales acerrimis cruciatibus acti, & de ſalute diffiſi furoris, & ſæuitiæ ſigna dare uideantur. Loquetur eis Dominus, quum illos adiudicādos aduenerit. Loquetur, & dicet. Dereliquiſti uenam aquarum uiuentium, & bibiſtis amaritudines dolorum, & conſcientiarum ueſtrarum. Loquetur, & ſentētiam iuſtiſſimam dabit, qua uos ad æternum ignem deſtinet, & mittat, quando nulla ſecundum naturam, aut leges in eum, & filios eius exercuiſtis opera pietatis. Audietis ſermonem duriſſimum, & lingua eius tanquam acutus gladius ueſtras turbulentiſſimas animas penetrabit. Loquetur, & reſpondere non audebitis, quoniam iuſtus Dominus iuſtitiæ ſuæ nullam patitur exceptionem. Dedit. n. uobis leges, & ſanctiſſima rudimenta propoſuit. Dedit prophetas, ſeipſum deniq; dedit, quem & uiuum, & mortuum laceraſtis, irriſiſtis, innumeris cōtumeliis affeciſtis. Quid ergo pro ueſtra impietate, pro ſumma, & incredibili impudentia coram eo in ſede maieſtatis po-

ſito in ueſtram excuſationem reſpondere pote-
ritis? Scriptum eſt enim conſurgant, & aſcen-
dant gentes in uallem, quam Ioſaphat.i.iu-
dicii locum appellant. Quoniam ibi ſedebo, ut
in circuitu iudicem omnes gentes. Deq; Syon
rugiet Dominus, & de Hieruſalem dabit uocem
ſuam, & Dicet.

EGO AVTEM CONSTITV-
TVS SVM REX AB EO SV-
PER SYON MONTEM SAN
CTVM EIVS PRAEDICANS
PRAECEPTVM EIVS.

NON Eram o iniqui, & inſipientes iudei
homo ſolum, quando uobiſcum uerſabar in
Hieruſalem, non homo inquam ſolum, ſed
etiam Deus. Non eram ſeruus, ſed Princeps,
quando etiam per irriſionem me Regem iu-
deorum appellare non dubitaſtis. Atque id pro
cauſa, qua cruci demandatus fuiſſem, ſupra
caput inſcribere uoluiſtis. Vere & iudeorum
Rex, & gentium, & Populorum omnium Prin-
ceps dici merebar. Quoniam ſum, & a Patre meo
non ſolum ſuper uniuerſam terram conſtitutus
fueram princeps, & Dominus, uerum etiam ſu-
per uniuerſos cęlos. Scriptũ eſt enim. Verbo do-
mini Cęli firmati ſunt, & gloria eiu. manet in

ſæculum ſæculi. Neq; ea modo ſuæ Poteſtatis,& imperii uerba loquetur Dominus, uerum etiam ſe diuinam legem,& ſanctiſſima pręcepta uobis dediſſe cōmemorabit. Quibus in uia ueritatis,& iuſtitiæ ambulare poſſetis. In monte enim Syon (qui in Hieroſolima eſt poſitus,& exacerbatio-nis tentatio, aut ſpeculatio interpretatur) Diui-niſſimas ſuas habuit conciones. Ex quo loco per uniuerſum terrarum orbem pietatem catholicā diuulgarunt apoſtoli. Vbi etiam qui cum aliis ex centum, & uiginti numerum conficiebant, Sancti ſpiritus numine afflati ſunt. Et pędican te Petro ex omnibus fere nationibus congregatę gentes ad diſtributionem linguarum commotæ ſunt. Et ex iis, qui aderant, circiter tria milia ho-minum conuerſa in Dominum crediderunt. Hic ſimiliter locus eſt. De quo ſcriptum etiam legitur. De ſyon exibit lex, & uerbum Domini de Hieruſalem. & alibi. mons ſyon latera aquilo nis ciuitas Regis magni, quam Deus fundauit in ęternū. Item qui confidunt in Domino ſicuti Mons ſyon, non commouebitur in perpetuum. Exacerbationis uero tentatio exponitur, q inde ex promulgatis ſanctiſſimis inſtitutis miſeri,& infelices iudei tentati ſunt, cōmoti ſunt, tremor apphendit eos: Exacerbarūtq; (ut ita dixerimus)

corda ſua, & animos, immo diris cruciatibus exacerbarunt in Dominum, & aduerſus Chriſtum eius. Speculationis item locus iſte merito nuncupatur. Nam in templo ibidem conſtituti potuerunt immanes, truceſq; iudei a Rege ſuo denunciatam ueritatem ſpectare, & agnoſcere, atq; ipſis (ut aiunt) manibus retinere. Sacratiſſimus uere, & nunquam ſatis laudatus mons iſte Syon Cęleſtem patriam, & Regnum fidelibus prępfigurat. Eſt. n. Dei mons, & pinguis, unde gratiarum flumina exoriuntur, & totum terrarum orbem irrigant. Mons pinguis, & coagulatus, quia nulla quãuis magna diffuſione minuitur: Sed in ſuæ quam admirabilis concretionis magnitudine permanet. Super montem ſyon conſtitutus Dominus: Nos uero ſuper eum, qui dicitur Syna. Et æterna tentatio, ſiue odiũ appellat', quia ad Terrenum attinet Principatum. Quem Seruator noſter aſpernatus eſt, inquiens. Regnum meum non eſt ex hoc mundo. Conſtitutus eſt ipſe Rex a Patre ſuper eccleſiam, ut ad beatæ uitæ habitaculum homines ſubleuaret. Quos uoluit ab æterno, niſi ſua culpa deficerent, ſaluos futuros. Conſtituit Pater filium Regem, ut prædicaret Euãgelium ueritatis. At illi eidem in hunc modum uiſus eſt loqui, mi

fili ego hodie genui te: ipſeq; Beatiſſimus filius atteſtatur Dicens.

DOMINVS DIXIT AD ME. FILIVS MEVS ES TV. EGO HODIE GENVI TE.

VBI Magnum quidem, & admirandum ſuggeritur uerborum myſterium. Pater filium uocat, atq; illum hodie ſe genuiſſe cōmemorat. Si ſemper enim genuit, quomodo hodie? Si hodie, quomodo æterno patri coęuus, ac eiuſdem ſubſtantiæ credetur, & appellabitur filius? Neq; .n. antequam ipſum genuerit, adduci poſſumus, ut credamus, ab eo filium uocatum eſſe, quod & ipſe, a quo genitus eſt, tum pater, aut eſſe, aut appellari minime potuit. Quando inſuper o bone, & admirabilis Deus, filium genuiſti, tum in te ipſo antequam gigneres (precor mentem meam illumina, tuaq; pietate recenſe) illum ne intelligebas, an potius id tibi euenerit, ut ipſum præter intentionem (ut ita dixerim) procreares? Hoc quidem nefandiſſimum dictu eſt, neq; de tantæ maieſtatis numine cogitandum. In te ipſo igitur antequam illum gigneres, intelligebas, tumq; pater eras. Quo itaq; pacto (ut ipſe noſti) fieri potuit, ut antequam filius genitus eſſet, filius appellaretur? Ex ſua.n. generatione hoc ha-

bet, ut ſit, & filii nomine nuncupetur. Sunt hæc alta quidem, & profunda ualde tuæ Diuinitatis myſteria. Quæ mentis noſtræ caligantes perturbant oculos. Qui tamen ſola tua pietate liniti eorum quicquã uelut umbrã coniiciunt. Quis.n. tantæ aut eruditionis, aut eloquẽtiæ uir unquã fuit. Qui generationem filii tui exacte aut intelligere, aut explicare ualeret? Quocirca diuinus ille Vates, qui inter Euangeliſtas cõnumerari facile poteſt, exclamat. Deum quis unquam uidit, aut quis conſiliarius eius fuit? Generationem eius quis enarrabit? Si de æterna, non temporanea procreatione locutus eſt Eſaias, hęc quidem ſuperat omnes cogitatus humanos. Quæ ſane niſi illam intuentibus oculis raptus in Cęlum homo conſpiciat, alioquin comprehendi non poteſt. Quando nõ ſuis uiribus, ſed Diuina ope, & opera innixus Diuinitatis naturã induerit. Si uero de temporanea generatione Diuinus ille ſermo audiatur, quum ſine genitore ille ipſe prodierit filius, ſolaq; uirgo mater illum ex utero procreauerit, mira quidem res eſt, & omni mentis captu longe ſuperior. Dicam ergo tãta in re tuo fretus numine, quid me mea imbecillitas docuit: Ne ſeruus tuus uideatur tanquam mutus ſilere corã te, & tua ſuper eum manus coarctata fuiſſe.

GENVISTI Ergo hodie filium Domine, quod nulla ſit præteriti, aut futuri temporis ratio apud oculos maieſtatis tuæ. Sed omnia ueluti præſentia ſunt coram te. Atq; ideo ſempiternam illam, atq; immutabilem filii tui generationem tuus ille magnificus explicat ſermo. Qui quum præteriti temporis complicet uerbum, nullum certe generationis eius fuiſſe principiũ deſignatur. Quę tamen de pręſenti facta eſſe deſcribitur. Quoniam ita nunc uigeat, unoq; ac eodem modo ſe habeat quemadmodum iuxta captum intellectus noſtri fuit in ſempiternum. Semper ergo Pater genuit filium, atq; eodem modo illum ipſum hodie genuit, quo ab æterno genitus eſt. Verum quam admirabilis illa æternitatis menſura ob id quod pręſentis temporis ratione melius explicatur, hinc factum eſt, ut ex ore tuo Domine acceptum ſit pro noſtro beneficio te hodie tuum unius, & eiuſdem ſubſtantiæ, coęuumq; filium genuiſſe. Nunquam uero ante ipſe pater fuiſti, quam filius eo nomine deſcriberetur. Eo.n. quod genitus eſt, filius appellatur: & quod ipſe illum genueris, genitor factus es, ac ab omnibus ſub eo genitoris nomine uenerari. Ipſe quoq; o fecundiſſime rerum omnium pater, & opifex non preter intentionem

(quod quidem horreſco referens) ſed maximo propoſito, & intelligentia tuum filium genuiſti. Nec unquam uerum fuit, antequam illum gigneres, ut ipm gignendum in teipſo cōſpiceres. Quoniam neq; ante, neq; poſt, neq; ulla tēporis differentia admirabilem illam tuam operationē diſtinguere potuit. Siq; forſam teipſum ſolum contemplari uolueris, fieri, nec ne poſſit, Sanctiſſime genitor heſitauerimus, pietate tua confiſi a te audire ſperabimus id quidē fieri poſſe, ob id, quod re ipſa a filio tuo diſtingueris: Verū temetipſum tunc nō ut genitorem: ſed ut Deum mente concipere. Ad te quoq; me uerto ſapientiſſima ſoboles a parente tuo hodie genita, me inquam uerto, & tuo adiutus numine uidere uideor te una tantum generatione nunc, quando factus es homo, & ab æterno Patris tui filium appellari debere. Mater.n.tua Virgo ſanctiſſima queādmodū ſola fuit, quæ te peperit hodie, ita etiam genuit, ac ſibi ſoli in filium noua generatione ſuſcepit. Te igitur hodie & æterna, & temporanea, quæ Patris reſpectu una, & eadem eſt, Pater ipſe tuus generatione progenuit. Parce precor ſi de te, tuoq; ſanctiſſimo genitore impure loquor, ac minus digna uerba pronuncio: Meum tibi cor patet, tibi mea loquitur lingua.

Tu in hunc ſermonem mea labia dirigere uolui ſti: Tuaq; immenſa bonitate dum gentium uanitatem, populorum inſaniam, iudeorum impie tatem, & illuſionem commemoro, mecum uiſus es loqui, ac dicere Dominus dixit ad me filius meus es tu, ego hodie genui te.

POSTVLA A ME, ET DABO TIBI GENTES HAEREDITATEM TVAM, ET POSSESSIONEM TVAM TER MINOS TERRAE.

SED Cur ad poſtulandam hæreditatem a Patre filius inuitatur? Nonne ingenui officium eſt, & genitoris p̄cipue abſq; poſtulatione, quod iuſtum, & honeſtum eſt, liberis cōdonare? Non ne ipſe omnium Pater, & Princeps te filium ex memoria eius fęcunda quamliberaliſſime genuit? nihil inde retributionis expectans, extra ſuam hypoſtaſim actione illa præſtantiſſima teipſum conſtituens? Quæ quidem (ut reor, & tu pater omnipotēs noſti) nō adeo perfecta fuiſſet, niſi tanta cum liberalitate manaſſet. Si ergo liberaliſſime tua eſt genita proles, cur etiam abſq; poſtulatione illi eius hæreditatem non condonaſti? Finxiſti ergo filii tui poſtulationem, aut ad poſtulandum illum potius inuitaſti, ut quod ipſi merito fuerat tribuendū, ab æterno utriuſq;

cōſilio uenturum hominibus ſignificares. Non inuitaſti, ut peteret, quū tibi ſit natura par, neq; precibus, aut muneribus inflectaris, ut ſibi debi tam hęreditatē conquireret. Sola. n. mente fiunt inter uos ueſtra colloquia o beatiſſimæ hypoſta ſes. Atq; ideo ſumma illa ſoboles, Quæ gratiſſi mæ infirmitatis noſtræ naturam aſſumpſit, uo lente patre, a quo ſuam quoq; originem habuit, ut inuitata fuit, ita etiam libēter illam ſuſcepit. Poſtulauit filius gentium hæreditatem, quum genitus eſt, poſtulauit, quum humanam carnē aſſumpſit. Poſtulauit, ac illam ipſam ſuo iure ob tinuit. Quippe decentiſſimum erat qui eſſet dei uiui filius, ex homine etiam naſciturus, eiuſdem filius diceretur. Obtinuit gentium omnium hæ reditatem. Quam, niſi ſeipſam perdere uoluiſſet, non ſolum cura, & ſtudio, ſed etiam firma poſ ſeſſione obtinuiſſet in Cęlis. Gentes etiam pro ſingulari hæreditate habuit filius, immo non gentes ſolum: ſed etiam nationes, & populos uni uerſos. Scriptū eſt. n. Deus uult omnes homines ſaluos fieri. Qui neq; perſonarū exceptor eſt, aut eſſe conſtituit. Magna quidem hæreditas ab im menſa æterni patris uoluntate proueniens. Ma xima, & feliciſſima hæreditatis cōditio, quæ tan tum hæredem potuerit promereri. Non erat ſa

tis Dei uiui filio ſua in Cęlis, & Diuiniſſimã quidem hæreditas, qua æterni patris, & ſancti ſpiritus gloria frueretur. Quod in terris aliã quoque ſibi aſciſcere uoluit hæreditatem. Non egebat ſane Deus ipſe quũ eſſet, terrena hac, & uili admodum hęreditate. Sed ipſa infirma, ac imbecillis hæreditas tanto hæredis ſplendore egere maxime uidebatur. Amauit eam, atq; ideo illam ſuſcepit. Amauit, ut illam erigeret. Suſcepit, ut cuſtodiret. Cuſtodiuit, ut ſaluam faceret, & ſuo ſanctiſſimo numini cõſecraret. Ingrata quidem, & infelix hęreditas ſi ſe tanto heredi maxime debere non nouerit, ſi amore mutuo, ſummaq; obſeruantia, & pietate illum non proſequatᷣ. Qui ut illam ipſam ſibi ſuſciperet, ſua Diuinitate uacuus fieri uiſus eſt, formã ſerui accipiens. Serua eras, & domina facta es. Ipẽ uero Dominus erat: & formam ſerui ſuſcepit. Poterat te unico nutu ad ſuas eleuare ſedes, ſed ſumma pietate motus ea de cauſa uenit ad te: ita ſane humilis factus, ut ad crucis mortem, & ſupplicium duci uoluerit. Non enim aliter bonitate ſua, & miſericordia ſuſcitare te uoluit, quę iam perieras, & ab iniquitatis ſpiritu poſſidebaris. Perieras felix, & Deo grata hæreditas. Perieras, & inuenta es. occupabaris ab hoſtibus, & redempta es precio ſan

guinis: Ac a Deo tuo, & Domino ab ortu ſolis uſq; ad occaſum per omnes fines terræ poſſeſſa. Ad quos altiſſimi Dei rumor,& feliciſſima pene trarunt eloquia. Penetrarunt actu, & ſi non per homines (quod forſam quædã nunc, & non am plius uiſæ, terraq; partes inuentæ ſint) tñ per ſpi ritus ſancti uocem loca omnia compleuerunt. Scriptũ eſt.n. Spiritus Domini repleuit totum orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, ſcientiam uocis obtinuit. Compleuit omnia ſpi ritus, ut poſtulata hæc hæreditas uniuerſum hu manum genus complecteretur. At perditiſſimæ gentes, & populi ſe ab illa temere ſubtraxe runt. Quo factum eſt, ut ille ipſe æternus pa ter, & Dominus Sanctiſſimo filio dixerit. Qui ſe ab hac tua feliciſſima hæreditate ſub traxerint.

REGES ILLOS IN VIRGA FERREA; ET TANQVAM VAS FIGVLI CON FRINGES EOS.

VT .ſ. errores in primis ſuos agnoſcant, & ad uitæ rectitudinem redeant. Deinde niſi redi re uoluerint, temporaneo prius,& Demum æter no ſupplicio puniantur. Miſericors.n. & pius quemadmodum fuit, ita etiã hominibus uiſus eſt Deus, Sed propterea ſummã ſuam, ac ineffa

bilẽ iuſtitiã non derelinquit,quinimmo illa ipſa manet(ut canitur)& perſeuerat in ſęculũ ſęculi. Regi data eſt uirga, quæ recta ſit ad obſeruandam iuſtitiæ rectitudinem. Ad caſtigationem ferrea data eſt. Quod ſi facile hinc inde flectatᷣ, inflictionis merita non coęquabit. Scriptũ eſt.n. delicti quanta fuerit magnitudo, tanta eſſe debet afflictio:ut ubi in malum ſit factus exceſſus, inde ad bonũ reditus per oppoſitum fieri cõſpiciatur. Qui corrigi non uult, & a iuſtitiæ ſemita declinauerit, ferrea uirga percutiendus eſt,& ad ima pellendus, ne uideat faciem Domini:ſed in profundo tenebrarum maneat in ſempiternum. Virga ferrea uſus eſt filius, Dum diaboli poteſtatem diminuit. Quæ paſſim per uniuerſum hominum cętum,& abſq; ullo diſcrimine debacchabatur. Dedit.n. per aduentum ſuum ſanctiſſimum ſacra illis remedia, quibus communis hoſtis iacula reiicerentur: Et lorica fortitudinis, galeaq; ſapientiæ, ac Diuinæ pietatis Clypeo armati letales amplius ictus non pertimeſcerent. Virga ferrea uſus eſt Dei filius dum obſtinatiſſimam gentium mentem uariis cruciatibus,& tormentis afflixit. Toties ob idolorum cultum inuerſa Roma, ob uanitates innumeras conflictata italia, Miſer hic, aut ille mortuus imperator.

Toties concremata hæc, aut illa ciuitas, uaſtati agri, Deſolatæ urbes, ut uere dici potuerit Deus optimus uirgam uirtutis ſuæ conſtantiſſime exercuiſſe. Virga ferrea percuſſi ſunt infelices iudei, dum duriſſima obſidione afflicti, coacti ſunt inedia deperire. Virga ferrea percuſſi ſunt, quum maximum paterentur incendium, & amiſſo templo, ſacrificio, imperio, libertate, intolerabilem modo hinc inde fuſi ſeruiunt ſeruitutē. Virga ferrea, & inflexibili iniquorum animas Domine percuſſiſti, & una cum corporibus in tremēdo iudicii die percuties, ut ultio, & uindicta, quam tibi ſeruaſti, ſuum locum obtineat. Virga es tu, quam ex ſyon Emittendam decantari percepimus, ut regnares in medio inimicorum tuorum. Regnares, & te magnum Regem, & terribilem illis oſtenderes, ac de tuis hoſtibus inuictiſſime triumphares. Virgam, nō dormientem Te uidit alius uates, uidit, & uigilantiſſimam appellauit, quod rectiſſimus, & perſpicaciſſimus quidem ſit tuæ prouidētiæ oculus. Qui quod ſuum eſt pro meritis unicuiq; diſtribuit. Virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum relinquere noluiſti, ne iuſti ad iniquitatem manus ſuas extēderent. Virga tua, quam de radice ieſſe prodiiſſe lętamur, & baculus tuus me con-

ſolatus eſt, & docebit quo nam a facie tua aufu-
giam. Virga Moſeos in colubrum facile uerteba
tur, ut ulciſcentis iuſtitiæ mortalibus daretur
exemplum. Coluber in uirgam denuo mutaba-
tur, ut in ultione nunquam a rectitudine rece-
dendum eſſe demonſtraretur. Vltus es Domine
in hunc modũ peccata populi tui. Vltus es paſ-
ſionem tuam acerrimam, & ab inimicis tuis illa-
tam iniuriam ſuperaſti. Rexiſti eos in uirga fer-
rea, atq; ita rexiſti, ut tanquã uaſa fictilia unde
quaq; confringeres. Non eſt conſilium, aut po-
tentia aduerſus Dominum. Fractæ ſunt gentes,
& populi, fractus Dæmõ, fracta, atq; mentita eſt
iniquitas ſibi. Atq; ideo nobis, quibus data eſt
poteſtas ſeruandi Domini hæreditatem, & in
eius uinea laborandi modus conceſſus eſt, excla
mare licet.

ET NVNC REGES INTELLI
GITE, ERVDIMINI, QVI IVDI
CATIS TERRAM.

QVVM Enim diu aduerſus Dominum
fremueritis, quum mãdata eius, & inſtituta ſan
ctiſſima neglexeritis, iam tẽpus eſt ut audiatis,
& intelligatis quæ Dei ſunt abiicientes opera te
nebrarum. Hactenus inania, friuola, fallacia me
ditati non fidem, non caritatem, non ueſtras ani

mas colere uoluiſtis. Quum nondũ occaſio abie-
rit, qua poſſitis agere hæc omnia: intelligite uer
bum Dei. Nec intelligatis ſolum neceſſe eſt: Ve
rum etiam diſcatis illi obtemperare, & infallibi-
libus eius obedire mandatis. Quid enim prodeſt
homini ſi libenter audiat, & quod audiuerit, ope
rari nõ diſcat? Vere audit, & intelligit, qui quod
ſuum eſt, operatur. Qui integram Dei ueritatem
in corde ſuo non atramenti, ſed ſanguinis cara-
cteribus deſcriptam conſeruat. Qui dei manum
ut uult, ſcribentem omnia in anima ſua non im-
pediuerit: ſed in eius fidem, & pietatem exarſe-
rit, Hic uere ſermonem Dei audit, & audiendo
intelligit, & intelligẽdo ſemper obſeruat. Nunc
ergo Reges (ad uos Diuinus ſermo cõuertitur)
dum tempus eſt acceptabile, Dum in nauigatio-
ne eſtis, quæ ad ſalutis portum directa eſt: Qua
erratorum ueſtrorum, & inſaniarum ueniam,
atq; emẽdationem poteſtis ſuſcipere, Intelligite
Dei uocem clamantem, & dicentem. O Reges
erudimini, quoniã eſtis rudes, inſani, & miſeri.
Erudimini, qui iudicatis terram. Non.n.ſuper
terram recta eſſe queunt ueſtra iudicia ſine Di-
uina eruditione, Sine ſpiritu quomodo in ſpiri-
tu iudicare poteſtis? Qui.n.recte iudicat, in ſpi-
ritu iudicat, & qui recte loquitur, in ſpiritu lo-

quitur. Quoniã ſcriptum eſt. Non eſtis uos, qui loquimini, ſed ſpiritus patris ueſtri, qui loquitur in uobis. Falſa erunt, quæ dabitis in terris ſine eruditione iudicia, Nanq; erronea quoque ſunt ea, quæ intrinſecus in peccatis ueſtris quotidie celebratis. Ex immundo corde mundum aliquid exire non poteſt. Et quod diu emarcuit, in putredinem erumpere opus eſt. Erudimini igitur Reges, & terram poſtea iudicate. Terra.n. ſancta eſt, & iudicia iniqua diutius ferre non poteſt. Sancta eſt terra, quoniam ſanctus Dominus. Qui eam in mũdi medio pro hominum, qui ſancti eſſent, habitaculo collocauit. In medio ſita eſt terra, ut qui illam iudicare uoluerit, intelligat inter extrema uirtutem ęqua lance conſiſtere: Et in qua ſeipſum prius, deinde alios iudicet. Docuit enim nos & uitæ, & ſalutis noſtræ optimus inſtitutor Ieſus facere prius, & poſtea alios edocere. Exẽplum (inquiens) dedi uobis, ut quemadmodum ego feci, ita & uos faciatis. Terra etiam ſancta eſt, quod prima luce una cum Cęlo creata conditoris ſui bonitatem, & poteſtatem edocuit. Quæ item una cum cęlo creata eſt, ut ex terra cęlum fieri poſſe homo concipiat, ſi recta iudicia dare uoluerit, & in ſanctiſſima eruditione permanſerit. Ad uos Reges

pro omnibus Diuinus ſermo conuertitur. Vos eoſdem ut erudiamini hortatur, & prouocat. Quoniam illi ipſi eſtis, qui iniuſtitiam præ aliis colitis, qui duriſſimis bellis, & innumeris impietatibus manus datis. Vos uocat, & enixe precatur Deus, ut duritiem inſipiētiæ ueſtræ, & iniquitatũ furores a uobis procul abiiciatis, Enim uero authoritate ueſtra malis omnibus completa ſunt omnia. Et ab eo multum hæreditatis ſubtrahitur. Pro qua ſe moribundũ offerre uoluit, ac in maxime laudis ſacrificio ueluti ſaluberrimam hoſtiam immolauit. Erudiamini primum oportet, ut deinde gentes, & populi reſipiſcant, & una uobiſcum Domino in timore deſeruiant. Quocirca.

SERVITE DOMINO IN TIMORE, ET EXVLTATE ILLI CVM TREMORE.

SERVITE Illi primum, ut ipſi poſtea ueriſſimam, atq; gratiſſimam ſeruiant ſeruitutẽ. Seruite Domino, quoniam felix eſt ea ſeruitus, cui præparatum eſt Regnum in cęlis. Felix ſeruitus, quæ ſuauiſſimũ iugum imponit, & leuiſſima onera perpetuæ iucunditatis adducit. Id ſeruire eſt cæteris imperare, uitia depellere, carnem domare, malignos calcare ſpiritus; innumeras

mundi ſordes abiicere, cęlos ſcandere, & coram Diuinæ maieſtatis throno ſeſe ſtatuere in ſempiternũ. Cum timore eſt Domino inſeruiendũ. Quoniam timor ab amore, & ueneratione ſuum capit exordium. Bonus, ſanctuſq; Dei timor, quem propheta ſapientiæ initium appellauit, eſt cum deſiderio, & ſpe ſalutis coniunctus, omnenq; dubietatem, & męrorem ab animo procul abducit. Neq; coactæ, aut miſeræ ſeruitutis eſt iſte timor, ſed amoris, & uoluntatis, ſed iucunditatis, & gratiæ. Timẽdum ergo eſt, ut uehementius Deum amemus. Timẽdum ne forte quum minus illum non timendo colamus, eius in nos gratia, & pietas minuatur. Felix timor, qui uero, & expectatiſſimo gaudio iungitur. Felix pauor, qui in ſanctiſſima dum adeſt, ſe nouit ſeruitute geſtire. Deo inſeruiunt Angeli, & ſummo illi uenerationis obſequio ſubminiſtrant. Seruiunt, timent, gaudent, Dominantur ſua ſorte cõtenti, & altiſſimo de acceptis beneficiis immortales gratias agunt. Atq; ideo uos iidẽ Reges, & Principes, neq; uos ipſi ſolum, uerumetiam uniuerſæ hominum nationes, & populi ſeruite Domino, illi obſequimini, illi obtemperate, Dominum colite, & ſuprema uenerationis formidine proſequimini. Nãq; timor iſte exultationis eſſe dicet.

Et cum tremore peccatorum Diuinæq; ultionis exultatio erit admixta. Tremit peccator, quoniã iam Deum offendiſſe cognoſcit. Tremit iuſtus, ne peccatis Deum ſibi iratum, aut infenſum red dat. Exultat, uero quũ nouerit eius obedire man datis. Non ita tamen exultat, ut non debeat ſem per orare, ſuiſq; precibus illum pro erratis ad pie tatẽ deflectere. Quoniam nemo adeo iuſtus eſt, quin quotidie iniuſtitiæ laqueis capiatur. Atq; ideo ſcriptum eſt. Qui ſe ſtare cognouerit, uideat ne cadat. Modeſta eſſe debet exultatio noſtra, ſi in peccatis, quæ ad mortem ſunt, nos nõ eſſe per pendimus, aut coniectamus. Quum nemo ſane tutus ſit, dum in hac mortali uita peregrinatur, aut intelligat, dignus ne ſit ira, uel odio. Timor ergo in Deum ſuum eleuat caput, tremor ad Dei uindictam, & peccata ne admittantur, dirigitur. Cum ueneratione ſumma, & obediẽtia iunctus eſt ille. Hic uero cũ moderata exultatione actio num bonarum.

QVAMOBREM Nos hac in ſeruitute po ſiti, hoc gaudio, & exultatione affecti, hoc timo re, ac tremore compuncti uocamur a Domino, & ad capiendam eius diſciplinam aſſidue incita mur. Inquit. n.

APPREHENDITE DISCIPLINAM NE, QVANDO IRASCATVR DOMINVS, ET PEREATIS DE VIA IVSTA.

APPREHENDITE Diſciplinam inquit, non ut ſciamus tantum, ſed etiam ut quæ ipſe cum prophetis, ac legibus iuſſerit, obſeruemus. Ex ſeruitutis obſequio timor, ex timore gaudium, & exultatio, ab hac autem diſciplinæ apprehenſio eſt ſubſecuta. Qui enim recte Domino inſeruit, timet illum, & ſummopere ueneratur. Qui uero eum ueneratur, & colit, certe non gaudere, aut exultare nõ poteſt. Qui autem gaudet, & exultat in Domino iam perfectæ eius diſciplinæ, & ſapientiæ factus eſt capax. Quæ præparauerunt illa, hæc ipſa complet, & optatum finem inducit. Non.n. ſtatim in ſeruitutis initio capit homo domini diſciplinam, ſed multorum Dierum labore, & ſtudio opus eſt, antequam ad eius perfectionis gradum perueniat, qui etiam dum gradatim ad lumen ueritatis accedit, meretur magis, & ſtabilius in propoſito permanet. Diſciplina hæc ſancta, & immaculata, Ad quam capiendam, immo apprehendendam uiua Domini uoce ſedulo inuitamur, eſt, ut credamus, amemuſq́, & iuſtitiæ opera exequa

mur: Vt abiiciamus cordium noſtrorum fremi-
tus, & deteſtandos affectus: Vt erroribus (ſiqui
ſunt) & impietatibus eliminatis, pientiſſima
lux ueritatis appareat: Vt deniq; pace ſancta, &
lętiſſima animi quiete iter fideles cōpoſita, Deo
uiuamus, non Demoni: Amicis, non hoſtibus
opitulemur. Apprehendamus diſciplinam hanc
ipſe Dei filius, qui patris eſt non diſcipulus, ſed
diſciplina, nos ita quidem hortatur. Nanq; plus
ſatis apprehendere eſt, quam capiendi modus
oſtendat.

APPREHENDAMVS Itaq; diſciplinā,
ſed prius erudiamur, quod implementum ſapiē
tiæ eſſe non poteſt, niſi eadem tanquam fructus
lectiſſimus poſt maximam agriculturam in ani
mo recipiatur. Apprehendamus igitur hanc di-
ſciplinam, ut poſt fructuoſos, ſaluberrimoſq; la-
bores Dei uiui filium, qui uera eſt diſciplina, &
ſapientia patris, deoſculemur. Tunc. n. id perfe-
cte erimus aſſecuti, quando non amplius inania
meditati uitæ huius ambages, & miſerias deſpi
ciemus. Quando erimus tecum Domine in tua
celeberrima, & decātatiſſima, quę nos expectat,
patria cōſtituti. Nunc uero ueluti in caligine te-
nebrarum immerſi cęcutientibus oculis illū ex-
oſculari non poſſumus. Non. n. noſtra impuri-

tas patitur, ut cum tantæ ſinceritatis lumine cō iungamur. Oſculabimur filium tuum Domine ſi recte, & pro tui uoluntate uixerimus. Oſculabimur, ac perpetuæ cum eo futuræ pacis illi dabimus ſigna: poſteaquam erimus & ſenſuum, & malignorum ſpirituum, & perfidorum hoſtium pugna, atq; periculo liberati. Oſculabimur filiū, & puris cordibus, mentibusq; ſinceris adorare poterimus, quē modo ſuſpicimus, & tanquam per tenebroſum ſpeculum eius imaginem ueneramur. Apprehendamus itaq; illum, & diſciplinam eius exoſculemur, ac ſinceriſſime in præſenti uita (ut poſſumus) adoremus: ut uera eius poſſeſſio, uera coniunctio, uera adoratio in alia deniq; ſubſequatur.

NE FORTE *Si noſtra ignauia*, torpore, iniquitatibus diutius deſipiamus, nobis iraſcatur Dominus, & e iuſtiſſima rectitudinis uia in profundum baratrum præcipitemur. Iuſtus eſt enim Deus, & iuſtitiæ ſuæ illum non pœnitebit. Quam quotieſcunq; acriter pro ſcelerum magnitudine exequitur, iraſci, aut indignari deſcribitur. Si igitur diſciplinam Domini conſequemur, in p̄mium nobis propoſitum eſt diuinę Maieſtatis oſculum ſempiternum. Si uero noſtra culpa (quod neq; ſecus fieri poteſt) uolue-

timus illam apprehendere, nos manet ſine fine ſupplicium. Quod quandocunq; pro demeritis noſtris eueniet, breuiſſimo interiectio tempore eueniſſe dicetur. Idq; erit omnino.

QVVM EXARXERIT IN BREVI IRA EIVS. BEATI OMNES QVI CONFIDVNT IN EO.

TVNC Enim ira Domini exardeſcet, & ad ſummum indignationis gradum cito perueniſſe uidebitur, quoniam celer, atq; nimium uelox eſt, quantumcunq; retardauerit irreparabilis perditio animarum. Breui poſt futurum eſt ſeruatoris noſtri iudicium, quo una cum corporibus animæ æternis ſuppliciis demandabuntur. Breui inquam futurum eſt, quod nunquam a miſeris expectatum: & reſpectu ſempiternæ miſeriæ ea temporis dilatio nulla eſt. Breuis eſt etiam omnis temporis magnitudo ad Dei oculum comparata. Nanq; (ut ſcriptum eſt) mille anni ſunt in conſpectu eius tanquam dies externa, quæ præteriit. Beati ergo illi, qui cõfidunt in eo. Qui confiſi prius ita demum confidentiæ opera exercebunt, ut neq; gẽtium fremitus, neq; populorum uaniſſimæ cogitationes, neq; Regũ conſilia, neque Principum authoritates, neque arma, neq; uis ulla inde illos unquã abduxerit.

SIC TV Domine, qui unigenitum tuum hodie, quem genuiſti, allocutus es, & ſuper ſanctam tuam eccleſiam Regem cõſtituiſti, ut ſibi promiſſam hæreditatem ſanguine compararet, fac quæſo, & obſecro, ut poſt noſtram toto animo tibi oblatam, ac præſtitam ſeruitutem, ſuauiſſima eiuſdem filii tui oſcula capiamus in Cœlis. Vbi tecum uiuit, & regnat Deus cum ſancto etiam ſpiritu per ſæculorum omnium ſæcula. Amen.

IN PSALMVM. DOMINE QVID MVLTIPLICATI SVNT. QVI FVGA DAVID A FACIE ABSALONIS FILII SVI INSCRIBITVR. ET EST. III.

Onne fatuus, & inſanus ſum ego Domine, ſi credã te uero nomine appellare dum tua pietate me ſinis tecum loqui hoc in carnis ergaſtulo cõſtitutum? Dũ te Dominum, aut Regem Regum, & Altiſſimum uoco, dum te rerum omnium cõditorem, Deum optimum Maximum eſſe commemoro? Nonne quum mentis inops, & pauperrimus ſim, qui uias tuas inſcrutabiles eſſe percipio, & diuitiarum tuarum altitudinem metiri non poſſum, temere audebo uelle impura, quæ concipio, tibi nomina imponere? Magnum .n. illud eſt, Sanctum, atq; terribile (ut ſcribitur) quod quotidie magnificamus, ſuſpicimus, & ſuper omne nomen eſſe fatemur. In quo etiam ſpes noſtræ

ſitæ ſunt omnes, & ante ſolem permanet. Neq̧ illucere unquam poterit, niſi in diebus eius iuſti tia, & abundantia pacis appareat, propulſata a nobis Lunæ opacitate. Quæ aſſidue nobis impe dimẽto eſt, dum in uitæ huius carceribus immo ramur. Sunt.n. de te omnes noſtrę cogitationes, & nomina ab operibus tuis accepta, Quæ quidẽ tua magnitudine adeo excellis, ut id inueſtigari nõ poſſit. Serui tui ſumus, atq̧ ideo te Dominũ appellamus, creaſti nos, & creatorem uocamus. Sed hæc omnia indigna ſunt Maieſtate tua, lõ geq̧ magis aliena, quam ut credamus tibi ple nis ſignificationibus conuenire. Quattuor litte rarum, & ſane Sacratiſſimum nomẽ tuum He bræi ſummopere uenerantur, quo te unum eſſe, & omnia explicent. Sed neq̧ illud eſt, quod im mẽſam tuam amplitudinẽ ęquare poſſit. Immo & ſinceriſſima ſingularitate, & præſtantiſſimo rerum omnium complexu diuinius quoddam es, quod neq̧ mente attingere poſſumus, neque lingua proferre. Quocirca arcana Dei, quæ uide rat diuiniſſimus Paulus, homini explicare non licuiſſe dicebat. Parce igitur Sol omnium ſplẽdi diſſime ſi a tuo lumine appellationes noſtrę defi ciunt. Satq̧ tibi ſit te, quod nõ es, noſtris nomi nibus uocitari. Simul etiã inclina aures tuas ad

preces noſtras,atq; ita nos precor exaudi,ut quũ
de paſſione filii tui ,& populorũ in eum cõſpira
tione dixerimus,ſanctiſſimam eiuſdem reſurre
ctionem cum propheta enarrare poſſimus,& co
gitare quantum mortalium perſecutiones indo
leas • Quas tanquam Magnus ille Citharedus
Dauid filium Abſalonem(qui patris luctus,aut
gemitus interpretatur) aufugere uiſus es.Dice
bat igitur ſapientiſſimus Dei filius•

DOMINE QVID MVLTIPLICATI SVNT QVI TRIBVLANT ME? MVLTI ENIM CONSVRGVNT ADVERSVM ME •

QVID Inquã illud ſit, declara Domine, Non mihi, qui omnia tecum intelligo, & ab æterno minutiſſime accepi,ſed iis,qui hæc ſcire cupiunt,& deſiderant aduentum meum•Declara inquam Pater optime,& mentibus eorum infige,ut deteſtãdam iudeorum impietatem quotieſcunq; meminerint,noſcant a ſe ſuas erratorũ miſerias propulſare:& nequaquam cum multitudine abeãt(multi•n. uocati ſunt, ut ſcribitur) ſed electorum paucitate lętentur. Qua arctam, & anguſtam uiam Domini,quæ ad ſalutem ducit,inueniant•Declara Pater benigniſſime ſi malignorum hominum perditionem doleas,& in

gemiſcas,& de unius tantum pœnitentia maio-
rem,quam de plurium iuſtitia lętitiam capias,
quid in cauſa fuerit,quod permiſiſti eorum nu
merum adeo augeri,ut non eſſet, qui bene age-
ret,aut de te bene ſentiret,& fortaſſe ne quidem
uſq; ad unũ.Declara pater, & aperi populis tuis
ſecretum antiquiſſimę uoluntatis tuæ,& reuela
oculos eorum,ut intelligant ſe ſua culpa,& ma-
ligno ſpiritu periiſſe,qui iam iuſtiſſimo tuo iu-
dicio perierũt. Qui uero ſunt in pereundi peri-
culo conſtituti, pedem referant a lapſu,& ad te
uiuum,& uerum Deum propria ora cõuertant.

DECLARAVIT Deus per naturam prius mortales ſuo conditos fuiſſe arbitrio.Quo quicquid mallent,proſequerentur, & cuperent. Declarauit per prophetarum oracula uenturum uerbum Dei.Id iam ueniſſe confirmarunt Apoſtoli.Et opera eius in primis celeberrima docuerunt.Scriptum eſt.n.ſi mihi non creditis,ſaltem operibus credite.Habenda erat fides operibus, quod ſcriptis tãtum,& ſermonibus aſſentiri noluerint.Quæ tamen eorum animos non commouerunt,ut crederent. Sed accumulatis odiis ad eam ſane multitudinem deuenerunt, ut innumeri, & ſine ordine poſiti in ſeruatorem truces (ſi potuiſſent)manus iniicere uoluiſſent. Mul-

tiplices etiã facti ſunt inimici tui Domine poſt/
quam immundę eorum manus tuo innocentiſſi
mo ſanguine maduerunt. Atq; ita eorum eſt ad/
auctus numerus, ut mirũ certe ſit, unde amiſſo
imperio, Templis, & ſacrificiis, profugi, ac per
totum terrarum orbem diſperſi plures, quã cre/
dere par ſit, fuerint propagati. Id certe non alia
ex cauſa factum eſſe coniicimus, quam ut in pec
catis uiuentes erumnas augeant ſuas, & tanti
perpetrati ſceleris conſcii denique reſipiſcant.
Scriptum eſt.n. multiplices feciſti gentes, & non
auxiſti lętitiam.

LOQVEBATVR Cum patre æterno
filius ac eum Dominum uocitabat, quoniam
pater. Cui uenerationis nomẽ debetur: licet uter
que fuerit in ſumma æqualitate conſiſtens. Do/
minũ appellabat, quatenus eſſet futurus homo,
ac eo ipſo ſatis natura inferior. Cum eo inquam
loquebatur, ac in modum iuſtæ querimoniæ
uerba huiuſcemodi proferebat. Conquærebatur
multitudinem miſerationum noſtrarum, & ſeſe
iniquitates noſtras laturum ingemiſcere uideba
tur. Indolebat animarum, quas cõditurus eſſet,
perditionem, & declinantium a ueritate nume/
rum expaueſcebat. Cõquęrebatur plenã luctus,
& miſeriæ futuram Hieruſalem, Et quæ Domi/

mina gentium appellaretur, in teterrimam ſeruitutem lapſuram. Lamentabatur funeſta, ac innumera impiorum arma ſibi a ſceleratis manibus inferenda. Ac ipſe idem dum in humanis eſſet, & paſſioni propinquus, ea de re quammaxime lamentabatur. Inquiens ſi fieri poteſt, Pater optime, abeat a me Calix iſte, & acerrimum amaritudinis poculum tranſeat: ſed tamen fiat uoluntas tua. Non horrebat hoſtium multitudinem æque ac illorum errorem. Non atrocē adeo afflictionem (ſi fieri potuiſſet) euitare habebat in animo, ut magnum quidem numerum perditorum. Infeſtatio hæc illi maxima fuit, & perturbatio, quod ſapientia ſua ſpectaret omnia, & bonitate pulchra, ac perfecta eadem fieri uoluiſſet. Fugiebat pie quantum in eo erat cruciatum futurum, & cauſam eius maxime fugiebat. Fugiebat Pater filii luctum & gemitū, filius acerrimū iuſtitiæ exitum ægreferebat Sed noſtra fuit iniquitas, & quo accenſi ambo erant in nos ardentiſſimus amor, qui eos ad huiuſce miſerationis aſſenſum induxerit. Quum enim flagrantiſſima caritate humanum genus Deus ipſe diligeret, æterni patris filius animam poſuit pro amicis ſuis. Et pro eis quidem amicis, qui illum toties infeſtarunt, qui animis, linguis, operibus

agminatim conſurrexerunt in eum. Infeſtarunt illum, ac maxime perturbarunt iudei, antequã ueniret in mundum. Sed poſtquam ueniſſet, nõ ſolum infeſtarunt, uerumetiam multiplici ingenio quæſiuerunt Regnum, authoritatem, & nomen eius inuertere. Infeſtant quoq; miſerrimi ſacerdotes, qui pientiſſimum eius, & diuturnum dogma ſcindere ſatagunt: deq; innouatione ſæculi hoc tempore maxime gloriantur. Neq; ipſi ſolum, ſed etiam innumeri iniquitatis filii eorũ contagio propagati debacchantur in eum, & aduerſus illius pietatem armati caſtra ponere uiſi ſunt, non cum hominibus, ſed cum eo ipſo dogmatis authore decertaturi. Quocirca in ſanctiſſimo, quod ſæpenumero habuit cum Patre colloquio, conquæſtus dicere conſueuit.

MVLTI DICVNT ANIMAE MEAE, NON EST SALVS IPSI IN DEO EIVS.

NON Satis enim erat perfidis, & iniquis iudeorum cohortibus in tui necem fili optime conſpiraſſe, te alapis percuſſiſſe, uinxiſſe, flagellaſſe, Caput, manus, pedes, latus acerrime trãſfodiſſe, Totum corpus in crucis aram crudeliter diſtendiſſe, niſi tuæ etiam animæ ſanctiſſ. mæ inſultarent, & dicerẽt. Non eſt ſalus ipſi in Deo

eius, Cogitabant.n.te ideo Deum non eſſe, quod ea uis animæ nō appareret, quæ indiſſolubilem corporis compaginem continuiſſet. Aut.n.(ut Saducci) hominum animas una cum corporibus interire putabant, Aut ſi anima ſupereſſet, tibi illam non fuiſſe Diuinam. Arbitrabantur miſeri, & infælices ſe inuitum exitio tradidiſſe. Putabant diuinæ animæ uim ita corpori (ſi Deus eſſes) fuiſſe coniunctam, ut per quācunque ei illatam iniuriam diſſolui non poſſet. Non poterāt craſſa ſua minerua, ac terreno nimium ſpiritu contemplari quod moribundum eſſet, Diuinitatis uinculo fuiſſe connexum. Non poterant inquam illud agnoſcere, quoniam dictis eius, factis, profeſſioni, præceptis, inſtitutis, uitæ ſe in primis obiicerent. Non agit Deus, niſi ubi actionis ſuæ paratam ſedem inuenerit. Non effundit Sol lumen ſuum, ubi ad alterius arbitrium tenebræ continentur. Non illuſtratur domus, aut ſpecus, quæ ſit ita undecunque concluſa, ut Aſtri radius illam penetrare non poſſit, Se reddiderunt infenſos Diuino corpori ſcelerati, & immundi iudei. Et propterea animæ non detrectarunt offenſam. Illi.n. una cum corpore iniuriam intuliſſe arbitrabantur. Quam etiam ſi abiunctam a corpore perſequi maleficio potuiſſent,

utiq; perſecuti fuiſſent. Tanta.n.erat apud eos non hominum,ſed ferarum rabies,liuor,iniquitas,ut non corpori ſolum,quod cruci affigendũ unanimes ſtatuere,ſed etiam animæ maxime inuiderent.Atq; ideo ſcriptum eſt,& non pepercerunt animæ meę.Non pepercerunt,quoniam fortaſſe rumor erat in populo Te uerum Deum eſſe, & poſtridie reſurrecturum, quod dixiſſes templum ubi deſtructum eſſet, te Trium dierum ſpacio inſtauraturum. Dicebant ergo non eſt ſalus ipſi in Deo eius, quoniam de ſalute, quam propoſueras populis,formidabant, ob id ſolum ne.ſ.ab eis imperfecti ritus, & cerimonię, leges,& imperium auferretur. Dicebant tibi nõ eſſe ſalutem in deo tuo,quoniam ita futurum cu perent. Tibiq; non tantum,aut animæ tuæ hãc obloquendi,& dirius ſentiendi iuiuriam intulerunt, ut quam non poſſent,ſalutem adimerent: Sed etiam in deo tuo patre optimo tibi illam nõ eſſe teſtatiſſimis uocibus ſignificarunt.Dicebãt enim uah,qui deſtruis templum dei, & triduo illud inſtaurabis: Audiuerunt miſeri pientiſſimam tuæ humanitatis uocem, dum animam agebas in cruce.Qua Deus Deus meus, cur me deſeris,proclamabas. Et lamentationes illas ex utraq; tui parte tam Diuina,quam humana pro

latas intellexerunt, quod obcecati eſſent, & ſua culpa in tenebris ambularent.

AT TE Pręcor Clemẽtiſſime fili cur dum huiuſcemodi uerba obloquerentur iudei, tibi poſtea in Deo tuo ſalutem non eſſe illos dixiſſe cõmemoras? Nonne alius es tu, & alia eſt anima? Quis.n.eſt uſq; adeo mentis inops, qui neſciat totum hominem ex duplici corporis.ſ.& animę conſtare natura? Quomodo igitur tibi non eſſe ſalutem dixerunt, ſi id de anima falſi ſunt? Quẽ quum ita ſupplex interrogo, ſentire uideor in meis auribus intonare. Verum, & interiorem hominem omne corpus excludere. Alius.n.(ait Diuinus ſermo) interior homo ẽ, & exterior alius, quum igitur tuæ animæ ſalutem non eſſe commenti ſunt, tibi etiam, qui tua es anima, illam cogitatu uiſi ſunt ademiſſe. In Deo tuo tibi, atq; animæ ſalutem nõ eſſe aſſerebat impietas, quod neq; poſt interitum, neq; dum uiueres quicquã tui aut cogitatu, aut operibus diuinitus actum fuiſſe crediderit. Neq; ſolum te Deum non eſſe ex aperto uoluit oſtendiſſe, uerumetiam ſi ſimplex homo fuiſſes, Te Deo, quem tuum eſſe dicebas, infenſum exiſtere. Vere tuus erat ille, & nequaquam eorum Deus, Quoniam non agnouerunt illum, ſed auerterunt oculos uanitatis a

pulchritudine,& decore ipſius. Deus tuus erat, immo unus,& idem tecum natura Deus,qui eſt beatus in ſęcula.Quia non crediderunt impii,in ueritatis teſtimoniū coacti ſunt (ſic te uolente) fateri.Et tu ſapientiſſime fili ter eorum commemorata multitudine ineffabilis trinitatis in te relucentis Myſterium attigiſti. Multi.n.in ſpiritum,In aquam Multi,Multi in ſanguinē(quæ quidem tria unum ſunt, & de ueritate tua teſtificantur in terris) impias iniecerunt manus. Multi primum , quoniam ignobiles , & imperfecti,Nanq; ideo es tu rerum omnium præſtantiſſimus,quia ſolus Deus, & in ſumma ſimplicitate conſiſtens.Multi , quia confuſi.Multi,quoniam ingenio debiles , & ſpiritu imbecilles in multitudine ſanguinis ædificati.At tu,qui præter uana eorum deſideria,& blaſphemias animę tuæ in Deo tuo,quam uere nunquam amiſiſti, ſalutē fueras aſſecutus,uiſus es cum patre tuum cōtinuaſſe ſermonem , & ad noſtrā(ut ſcriptum eſt) eruditionem dixiſſe.

TT AVTEM DOMINE SVSCEPTOR MEVS ES , GLORIA MEA, ET EXALTANS CAPVT MEVM.

MENTITI Enim ſunt in corde ſuo,qui

oppugnabant me gratis, & defraudati ſunt, quo niã neq; corpori, neq; animæ meæ ſalus unquã, aut cõſeruatio defuit. Quodq; periiſſe uiſus ſum illis, id factum eſt, quoniam uolui. Neque uere me periiſſe confiteor, Sed animam meam pau/cis horis a corpore propria uoluntate ſeiunxi, ut me Deum oſtenderem. Seiunxi animam, & de/nuo illam cõiunxi, ut maius eſſe mihi, a te Deo meo collatum beneficium uideretur, quã ſi nul/lo unquam tempore ea utriuſq; partis in me di/ſiunctio facta fuiſſet. Suſceptor.n.meus es tu, quod ab æterno, quem genueras, deſeruiſſe non poteras. Suſceptor, quod ſi in terrenum mundũ me miſeris, in cęlũ ſumpto humano cortice me fauſtiſſime reuocaſti. Suſceptor, quoniam gra/tiſſima omnia, quæ pro te egerim, fuere tibi meę ſeruitutis obſequia. Audita eſt enim uox illa tua dulciſſima. Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Suſceptor meus es tu, quia & animæ, & corpori conceſſum numen nunquam te authore dimiſerim. Suſceptor, quia tecũ ſem/per in cęlis eram, etiam poſtquam me in hunc mũdum miſiſti. Et quum ad te homo redierim, qui non eram prius, me hominem tibi pro tua in me pietate gratiſſimum ſuſcepiſti. In tua.n. gloria, qua ſemper maxime gloriatus ſum, poſui

gloriam meam: immo honos tuus, & gloria, mea eſt. Ipſeq; (ut uerius dixerim) gloria mea ſemper fuiſti: In qua ergo ſperaui. Vnde fortitudinē & conſtantiam aduerſus eos, qui infeſtarunt me ueluti quodam uirtutis tuæ Clypeo protectus, accepi. Inde uictor factus, & mortem exuperans inferni Clauſtra reſeraui. Opima animarum ſpolia retuli: Et coram ſolio Maieſtatis tuæ magno liberatorum agmine de hoſte infenſiſſimo triumphaui.

QVO Etiam factum eſt Pater, ut caput meum, quod ex tuo prodiit capite, plurimum ex altares. Caput inquam illud, quod Corona ſpinea uñquaq; cōfoſſum, & ſanguineis riuulis madidum ſpectabatur: Caput fędiſſime elatum in crucem: Cui non erat uox, neq; decor, neq; ullū a mortalibus beneficium, deſpectum, laceratū, iniquorum manibus ſubditum: Caput inquam illud te authore, qui es gloria mea, uiſum eſt ex altari ſuper choros angelorū ad Cęleſtia regna: Tuoq; ſanctiſſimo capiti propinquum factum ad tui dexteram collocaſti. Quē quidem locum (ut ſcribi uoluiſti) mihi parauera s, donec pone res hoſtes meos pro ſcabello pedum meorum. Fęlix capitis exaltatio, quæ tantam pedum elationem obtinere promeruit. Felices pedes, qui

tanto capiti tam magnificum, tam ſplendidum, tam glorioſum parauerunt aſcēſum. Fęlix triumphus, qui tanta patrum expectatione, & ineffabili trinitatis gaudio ſubſecutus eſt. Felices animæ in Triumpho ductæ tui Auguſtiſſimi capitis, Beatiſſimorum pedum, excelſæ Dexteræ tuę innumeras, ac perpetuas laudes decantantes. Non enim erant amplius ſqualore affectæ, aut tenebrarum caligine offuſcatæ. Non anguſtia Terrarum præſcriptæ, aut temporis moleſtia perturbatæ. Sed uiuaces, & ſplendidæ, liberæ, & in optatiſſimo beatitudinis termino conſtitutæ. Neq; minus felix caput in tui uicem a te relictum fuit in terris. Vſq; adeo enim exaltatum eſt, ut illi pro tua in ipſum, & eccleſiam pietate, ligandi, atq; ſoluendi authoritatem conceſſeris. Quæ Regnum, & Imperium ſuper omnes alios Reges continere conſpecta eſt. Decentiſſime igitur ſubdere potes, & tuis uerbis ſanctiſſimis atteſtari inquiens.

VOCE MEA AD DOMINVM CLAMAVI, ET EXAVDIVIT ME DE MONTE SANCTO SVO.

VOX Enim tua erat, qua ad Dominum, ut te pro humani generis ſalute exaudiret, Clamaſti. Et uere tua, quoniam ea ipſa eras, quæ me

dium oportunum fuit,& maxime inſtaurationi
noſtræ conueniens. Vox inquam tua, immo uer
bum ipſum es, per cuius incarnationem ſalui
facti ſumus,& exaudita eſt oratio tua, quam ab
æterno in ſupremo trinitatis cõcilio propoſuiſti.
Vbi tuus, qui tecum, & ſancto ſpiritu idipſum
precabatur, aderat Pater. Quem ſemper obedien
tiæ cauſa, qua in terras ſeruandas deſcenſurus
fueras, Dominum appellaſti. Voce tua clamaſti,
dum inter homines uerſatus preces fundebas al
tiſſimo, ut Poſt deſtinatum tibi uitæ exitum re-
ſurrectionis palmam concederet. Voce tua non
ideo reuiuiſcentiam exoraſti, quod neſcires, aut
dubitares illam ſuborituram (Nanq; unus, &
idem Deus ante carnẽ,& in carne ſemper fuiſti,
qui omnia noſceret, ſupremoq; Maieſtatis im-
perio gubernaret) Verum ideo te clamaſſe, &
exauditum eſſe memineris, quod nos perpende
re uoluiſti quantus erat tuus in mortales amor,
& deſiderium ſalutis eorum. Neq; uereor etiam
profiteri dum in horto, aut in cruce uocẽ tuam
ad Patrem miſiſti, qua homo eras, alterius con-
ditionis,& ſummum quidem affectum, quo pro
pterea detinebaris, te orantẽ oſtendere uoluiſſe.
Pro tuis enim perſecutoribus pientiſſimæ audi-
tæ ſunt preces, at ꝓ illis, ut ignoſceretur, eraſti,

quoniam neſcirent quid facerent. Non egebat clamore tuo, aut precibus pater in Cęlis, quod & ipſe perluſtrans omnia id quod impetraſti, ab æterno futurum ſuis legibus ſtatuiſſet. Verũ ad noſtram eruditionem huiuſcemodi commemoratá ſunt omnia, ut nos filios eius factos eſſe facilius agnoſceremus. Et cum admirabili eiuſdem exaltatione pariter attolleremur ad Cęlos. Clamaſti igitur, & exauditus es a patre de mõte Sancto ſuo. Cuius quidem cacumen in Cęlum uſq; elatum eſt, & amplitudinis eius menſura dari non poteſt. Mons. n. iſte quid aliud nobis, quam ſummam, & infinitam Dei bonitatem ſignificat? Qua creati ſunt cęli, ſubſiſtunt Elementa, ac omnia, quæ in eis ſunt cuiuſq; generis animantia. Ab hoc monte tanquam a pręſtantiſſimo ſeminario omnia prodierunt: Ad quẽ item omnia enituntur, ut redeãt, quatenus in ſua perfectione, & ſalute conſiſtant. Ex hoc ipſo ſanctitatis Monte Dei filius exclamauit ad Patrem, & exauditus eſt. Quem ambo una cum ſancto ſpiritu ſingulari authoritate, & fauſtiſſime quidem inhabitãt. Terrenum quoq; Principatum, qui patris etiam dici poteſt, quo Chriſtus Pontifex futurorum bonorũ fuiſſe deſcribitur, Mons iſte ſanctitatis declarat. Super quo fundati ſunt

montes alii, qui ſucceſſiuis temporibus ſupre-
mam ligandi, & ſoluendi nacti ſunt authorita-
tem, Pro quo etiam monte filius patrem orauit
ne deficeret fides eius, ſed una cum ſanctiſſim a
eius eccleſia uſq; ad conſumationem ſęculi per-
duraret. Quam ſupra eundem montem ueluti
ſupra ſtabilem, & incõcuſſam Petram extruxit,
ne aliquando aduerſus illam pręualerent infero
rum hoſtium poteſtates. Extruxit moriens, &
erexit reſurgens, ut glorioſa eius eſſet uictoria,
magnificuſq; triumphus in conſpectu omnium
populorum. Quo factum eſt, ut idem de ſeipſo
dicat, quum ſe a Patre exauditum eſſe memi-
nerit.

IACVI, ET DORMIVI, ET EXVR
REXI, QVIA DOMINVS SVSTEN
TAVIT ME.

VBI Se hominem oſtẽdens aliorum more
iacuiſſe commemorat, & dormiuiſſe, Sed alio
quidem & feliciore modo a ſomno, Domini uir-
tute quæ ſua etiam erat, excitatum fuiſſe. Paucis
glorioſiſſimus filius & caſus, & erectionis ſuæ
narrat hiſtoriam, ut quemadmodum nullo in-
diget ipſe, aut pater eius, quo quæcunq; uolue-
rint, exequantur, ita etiam uno uerbo huiuſce-
modi reſurrectionis Myſterium intelligatur.

Iacui (inquit) Dormiui,& exurrexi. Iacui, quo niam uolui, ac ita quidem, ut mortis ſomno detento mihi mea a corpore ſeparata ſit anima. Nam ſi obdormire uoluerim, opus fuit, ut prius meo arbitrio iacuiſſem. Vis enim mea, quæ mihi erat peculiaris, & propria, uis Diuina, & ſupremum mihi conceſſum numen, quod mortis ſomno detineri debueram, iacuit, & permiſit humana, atq; mortalis conditio, ut natiuum ſuũ curſum perageret. Si.n. obſtitiſſet erecta, neq; ue luti iacens permiſiſſet corpus in propria natura perſiſtere, certe nunquam obdormire, aut emori potuiſſet. Iacuit etiam, & dormiuit Optimus filius, quoniam ſtatim ab obitu non reſurrexit, Quum enim modico, ac tenui quis ſomno affectus paulopoſt expergiſcitur, iacuiſſe potius dicitur, quam dormiuiſſe. Obiit autem, neq; ſubito a mortuis reſurrexit. Sed tertio die reſumpto ab anima habitaculo, uiſus eſt, quę deinceps per petu æ forent, uigilias celebraſſe. Somnum uero, aut ſomni cuiuſdam initium mortem ideo uoluit appellare, quod una cum corpore non interierit ſpiritus. Quemadmodum & mortales cuncti emorientes obdormire dicuntur. Vis. n. quæ intrinſecus corpus fouet, ac uiuidum facit, dum recedente anima nequaquam extinguitur, uigi-

lat: Et corpus ipſum eadem priuatum obdor-
mit. At uerior quidem, & admirabilior ſeruato-
ris appellandus eſt ſomnus. Quoniam ſuperſtes
anima rediit, Et, quo pars utraq;, etiã diſiuncta
Diuinitatis uinculo detinebatur, nunquam ſolu
ta fuit, ſed Auguſtiſſimo denuo illi conſortio co
pulata. Felix caſus, quo nos pariter tanto autho
re ſumus erecti, Felix ſomnus, quo perpetuo ui-
gilamus, Felicior reſurrectio, qua æternis miſe-
riarũ laqueis liberati tibi omnipotens fili iuges,
& immortales gratias decantamus. Semel reſur-
gere uoluiſti, ut duplici nos reſurrectione dona-
res: Et ſicut ſcriptum eſt, tanquam cęli ſydera
effecti tecũ in claritate perpetua habitaremus.

SVSTENTAVIT Te Dominus, ut
ſuſcitaret uerus, ac bonus paſtor, qui oues ſuas
non amplius expoliaret, uoraretq;, ſed cuſtodi-
ret, & ſpiritali paſceret cibo. ſuſtentauit corpus,
ne in putredinem facile erumperet, Non enim
datum eſt ſanctum tuum uidere corruptionem.
Suſtentauit, & paruo interiecto tempore ad Cę
leſtia una cum anima tranſtulit. Diebus tribus
in ſepulchro delituit, ut Beatiſſimæ Trinitatis
numero felix illa requies honeſtaretur. Neq; ta
men tres illi ab obitu integri connumerati ſunt
dies, Sed una cum dimidia luce, & duabus int

gris noctibus deſcribũtur. Quemadmodum ma
iores noſtras eſſe tenebras, dum hac in uita ſu-
mus, quam lucẽ uoluit explicare, ut eniteremur
aſſidue quæ ſurſum ſunt ſapere, ſi una cum illo
a peccatis noſtris conſurrexerimus, non quæ ſu-
per terram. Quadraginta etiam horarum ſpacio
totum illud tempus diſtinguitur, ut ueluti qua
draginta annis manſit Iſraeliticus populus in
deſerto, ſic ipſe conſimili horarum numero do-
nec ſanctos Patres ſecum abduceret, apud infe-
ros extra corporis habitaculũ fuiſſe percipiatur.
Eidem etiam numero conſecratum eſt ieiunii
tempus, quo ipſe idem quadraginta diebus, &
noctibus a cuiuſqȝ generis alimentis abſtinuit.
Quadraginta quoque, ut a peccatis auerteretur,
Niniue pro termino dati ſunt dies, Et antequã
ĩn Cęlum aſcendere uiſus eſt Dominus, quadra-
ginta diebus eſt conuerſatus in terris. Quadrage
nario dierum numero purificationis tempus cõ
ſueuit impleri, quo ad templum a puerperio mu
lieres (ut a beata uirgine obſeruatum legitur)
legitime queant accedere. Sacer ergo hic nume-
rus, & iam multiplici ex cauſa celebratus: non
utiqȝ mirum eſt ſi reſurrectionis morę cõueniat.
SVSTENTAVIT Te igitur fili op
time Dominus, atqȝ ſuſcepit, ut per tuam quoqȝ

operam,quam fundaſti ſanguine,ſuſtentaretur eccleſia:Et a,peccatorum maculis,uariiſq; iacta tionibus ſuſcitata,quæ ſæpenumero, & his po-tiſſimum temporibus fere mortua uiſa,eſt tibi acceptum referat de recuperata ſalute. Non•n• alio medio reuiuiſcere poteſt, aut in priſtinam ſalubritatem reſtitui•Felicibus tuis auſpiciis eadem ſurget,& illuminabitur,quia gloria tua ex orietur in ea, & inſtar Cęleſtis Hieruſalem precioſiſſimis, quibus p̄dita erit, lętabitur ornamẽtis•Surgemus omnes,te Authore,in Die illo Nouiſſimo,quoad Tubæ ſonum fuerimus excitati. Surgemus,& incinerata corpora denuo ſuis eiſdem partibus reformata conſtabunt:Etiam ſi ab obitu fuerint in mille rerum ſpecies tranſmutata.At ſi qua ex partibus plurium hominum per alimentum propria facta eſſe dicatur, potentia maieſtatis tuæ ſupplebitur,quod defuerit alteri, & uni tantum corpori,pars illa conueniet•Surgemus inquam omnes,& non more tuo,a Domino ſuſtentabimur,q; Diuinum extincto corpori noſtro coniunctũ numẽ non adſit: Neq; tãtę diuinitatis culmine noſtra, quæ ſatis obſcura eſt, & imbecillis,afficitur anima • Surgemus inquã omnes,ſed non omnes (ut ſcribitur)immutabimur:Quod tecum in legem mandatorum tuo

rum hac in uita reſurgere noluerimus, ſed ad te nebroſa loca, & quidem miſerrime decidemus. Qui uero immutabuntur, in perennes lucis, & pacis uigilias ſuſcitati uere ſurrexiſſe dicentur. Reſurrectionis Noſtræ ſancte fili tua ab ſua- uiſſimo ſopore facta ſurrectio ſpes magna fuit, & comprobatum indicium. Si enim reſurgere noluiſſes, aut te non ſurrexiſſe a mortuis nos do cuiſſes, future noſtræ reſurrectionis ſpes ablata fuiſſet. Neq; ideo te ſemel oculis ſolum conſpi- ciendum, ſed etiam manibus ſæpius attrectan- dum illis exhibuiſti inquiens, palpate, & uidete, quia ſpiritus carnem, & oſſa nõ habet. Corporis nanq; tui intactam telam ſeruaſti, quæ (ut ſcri- ptum eſt) præcipitauit mortẽ in ſempiternum. Cuius ob tenaciſſimam, indiſſolubilemq; textu- ram dicere legitime potuiſti.

NON TIMEBO MILIA POPV LORVM PRAELIANTIVM, ET IN CIRCVITV POSITO RVM ADVERSVM ME.

QVIS Enim eſt ita fortis, & potens ſicut Tu, qui es Deus noſter? Non timuiſti corporis tui hoſtes acerrimos, qui ut id dilaniaretur, in- ſtanciſſime petierunt. Non timuiſti impias men tes, & animos, qui adduci non poterant ad cre-

dendum te maxima cum uictoriæ palma reſurrecturum. Qui ſanctorũ patrum agminibus in Cęlum ductis de interitu, & inferorum Principibus, qui millenario numero præ multitudine deſcribuntur, glorioſiſſime Triumphares. Non erat tibi iuſta ratione timendum, ne ab innumeris populis circumſtantibus ullatenus patereris. Quoniam Deus, & Dominus uniuerſorum, bellator fortis in prelio, Rex gloriæ noſceris, & appellaris. Qui attollendas Ditis ianuas imperaſti, cęliq; portas tuo Ductu & auſpiciis mortalibus aperuiſti. Neq; tuæ erat eccleſiæ pertimeſcendũ ne ab eiſdem hoſtibus frãgeretur: Qui tot annos illam tam armis, quam impietatibus fere uſque ad excidium ſunt perſecuti. Sed tamen tua fortitudine, admirabiliq; potentia adiuta perſtitit, & ad id incrementi deducta eſt, ut de Maieſtatis tuæ ſubſidio, & protectione magnopere glorietur. Dixiſti tunc.

EXVRGE DOMINE, ET SALVVM ME FAC DEVS MEVS QVONIAM PERCVSISTI OMNES ADVERSANTES MIHI SINE CAVSA, DENTESQ; PECCATORVM CONTRIVISTI.

TALIA Loquebaris, quod eras conſcius futuræ tuæ exaltationis debellatis atrociſſimis

hoſtibus. Qui abſq; ulla cauſa, ſed ſolo ambitu, liuoreq; intimo ducti tibi dum uiueres, & eccleſiæ ſunt totis uiribus aduerſati. In maxilla perculſi, & ad minutiſſimum uſq; puluerem cõtriti ſunt Dentes, quod mendaciſſimi facti ſunt, & quam lacerare, ac inuertere procurarunt, ueritate detecta, eorum pœnitus omnia, una cum deſideriis euanuerunt. Sed idipſum modo, quã amplificaſti, gens ſancta, tibiq; delectus populus decentius exclamaret. Exurge Domine, ſaluum me fac Deus meus. Quoniam quemadmodum antea meos hoſtes debitis ultionum ictibus perculſiſti, ita nunc, quũ denuo in me, pietatemq; tuam acerrime inſurrexerint, aduerſus eos inſurge: Neq; tantum eorum maxillas, rabideſq; dentium furores compeſce, ſed etiam intima uenenoſorum cordiũ penetralia arce, diſiice, diſrumpe. Non enim uerentur temere hac tempeſtate Legem tuam ſanctiſſimam, & cerimonias prophanare, mutare ſacrificia, innouare ritus, auferre omnia, quæ ad rectum uiuẽdi cultum, & normam tanta cum ſapientia, & myſterio ſunt Diuinitus inſtituta. Etenim

DOMINI SALVS EST.

QVI Te filium ſuum unigenitũ ab omni illata iniuria ſaluum fieri uoluit, Et ipſe noſtra

es ſalus,& reſurrectio , qua ſalui nos etiam facti ſumus , & inexplicabilibus inuolucris liberati. Qua quidem ratione factum, eſt ut ſit SVPER POPVLVM TVVM BENEDICTIO TVA.

IDEST Auguſtiſſima tuę uoluntatis ſententia,atq; decretum,quo illum periturum nunquam ingenue ſtatuiſti. Quod ſane iampridem Patribus , quibus loquebaris , & Abraę potiſſimum,legimus Dñum promiſiſſe. Bñdicētur.n. (ſacra hēt editio)de ſemine tuo filii propagati, & ſicut ſtellæ Cęli numerabuntur:Quorum gloria,& dignitas manebit in ſempiternum.

BENEDIC Igitur nobis Domine , ac in tua nos ſic benedictione conſerua, ut quum hodie reſurrectionē tuam maximis(licet indignis) laudibus celebremus , tecum in extremo iudicii die in immortalitatem conſurgere ualeamus. Qui uiuis,& regnas cum Patre,& Sancto flamine Deus per innumera ſęcula ſęculorũ. Amen.

IN PSALMVM QVVM INVOCAREM, QVI VINCENTI IN CANTICIS INSCRIPTVS EST. ET QVARTVS ANNVMERATVR.

q Vum ſimplicitatē tuam conſideremus Domine, ac noſtram multitudinē, uariāq; naturam ſciamus nobis ſemper officere, in te, qui finis es omnium, uerumq; ſabbatum, melodiis erigimur tota Die: Et tuum ſaluberrimum auxilium inuocamus. Ad id inuitatur anima, quod eadē Harmonia, qua conditi ſunt, cęli mouentur: Tuæq; Maieſtati gloriam concinunt Angeli, ac in ſuo harmonico temperamēto res omnes, quas creaſti, cōſiſtunt. Inuitat ad te Deus meus me anima mea, ut concentu pacis, & bonarum actionum ſuauiſſima conſonantia preces meas effundam. Inuitat ſeipſam anima, & ſe ad tui imaginem procreatam intelligit: ſuaq; cōſona diſparitate audet gradatim

per ſuos numeros ad ineffabilem tuam unitatē aſcendere. Vicit eam glorioſa filii tui compago, & admirabilis harmonia. A qua ſuperata aduerſus terreni corporis diſſonantiam magnam quidem uictoriam eſt aſſecuta. Atq; ideo dum ex temperatiſſimo corpore eiuſdē pius cruor effluerét, uniformem, & inuariabilē æternitatem ſibi datā potuit agnouiſſe. Iſta ſunt organa, & beneſonantia Tympana. Iſtæ ſunt Citharæ, quibus Magnus ille muſicus, & Propheta Dauid tuas ſæpius aures demulſit, ac utriuſq; Teſtamenti laudes cōplexus eſt. Inde Seruator noſter Ieſus, quum reſurrexiſſet a mortuis, & ſuo denuo corpori anima conſonaſſet, ſuauiſſimo uerborum concentu in hunc modum locutus eſt.

QVVM INVOCAREM EXAVDIVIT ME DEVS IVSTITIAE MEAE: IN TRIBVLATIONE DILATASTI MIHI.

INVOCAVIT Te Deus, ſępius, & orauit: quod magnæ quidem efficatiæ apud Maieſtatē tuam ſint hominum preces. Illis. n. tibi obediūt uniuerſi, ſe continent, atq; cuſtodiunt, cauentq; ne a uitiorum ſordibus inficiantur, & polluant ſanctum ſuum. Per orationem tuæ adhereſcunt uoluntati, & ſe immaculates ſeruant in hoc ſæculo. Oratione ſapientiam tuam imbibunt, quæ

Dei ſunt, & conſiderare, & agere conſueſcunt. Oratione ſibi gratiam tuam, & benignitatem conciliant, Iracundiam mitigant, furorem extinguunt, peccatorum miſericordiā conſequuntur. Per orationem cor emundatur, niteſcit anima, ſpiritus expiatur. Per orationem in mentis ſinceritatem eleuantur ſenſus, deſtituitur corpus, colligitur animus, rapitur intellectus, mens Diuinitus occupatur. Oratione tanquam tenaciſſimo glutino Deo coniungimur, unum cum ipſo efficimur, nunquam ab eodem, ſi uolumus, ſeparamur. Non enim noſtro lumine te Deus conſpicere, aut inueſtigare ualemus. Sed per orationē tibi mentem noſtram, & animum, in quem influas, læto corde ſubſternimus, & ſupplices te iugiter obſecramus, ut ſcintilla ignis tui ampliſſimi demiſſa, in nobis uelut in arundineto diſcurrat. Et quoniam ex noſtra imbecillitate, & culpa ſicceſcimus, & facti ſumus ſicut terra ſine aqua tibi, gratiæ tuæ pluuiam imploramus. Qua item noſtrum uellus, ex quo infirmam, ac debilem uitæ telam contexímus, madeat, & tuæ ſanctiſſimæ liberalitatis rore pingueſcat. Orauit Abel & iuſti nomen promeruit. Orauit, & orationis eius oblatio, ſacrificiiq; fumus recto curſu in cęlum tendere uiſus eſt. Orauit Abraam, uidit,

credidit,adorauit, & immortale iuſtitiæ beneficium eſt aſſecutus. Orauit Iſaac & a mactationis iniuria eſt preſeruatus. Orauit Iacob,& ſcalam, qua Cælum aſcenſurus erat, per ſomnium cõſpicatus eſt. Orauit Moſes,& innumeris affectus muneribus mirabilia fecit. Orauit Ieſue,& Cęlum a ſuo curſu continuit. Orauit Ezechias, & per ſolis reuocationem,ad longioris uitæ curriculum eſt deſtinatus. Orauit puer Dauid,& funda interfecto gollia,qui a tot millibus hominum ſuperari non poterat, ſe,& Hieroſolimę imperium futura Tyrannide liberauit. Orauit Salomon,& ſumma ſapientia prçditus Templum extrux t.Orauit Daniel,& ſe a ferociſſimis leonibus uindicauit. Orauit Iudit, & Oloſernis caput excidit. Orauit Suſanna,& ſuperata ſenum iniquitate pudicitiã pariter, & uitam ſeruauit. Orauit Helias,& igneo curru in cęlũ euectus ẽ. Orauit Heliſeus, & puerũ a mortuis ſuſcitauit. Orauerunt alii uates, & Vaticinii ſunt authoritate donati. Orauerunt Apoſtoli,& quęcunq; in Nomine filii tui petiuiſſent, feliciter ſunt aſſecuti. Orauit Paulus, & ad ineffabilis trinitatis ſolium raptus eſt. Orauit Stephanus, & reſeratos Cęlos aſpexit. Orauit Petrus, & ſuis concionibus die uno tria millia hominum baptizauit;

ac meritiſſime Seruatori in terreno Principatu ſucceſſit. Orauit ipſe ſeruator pro illo, ne aliquã do eius eſſet deſitura fides. Pro ſeipſo etiam, & in horto, & in monte, & in ſacrificio te Patrem inuocare uoluit, ac exorauit. non ſolum ut illum, qui ut homo, Diuina quidem ope indigere uidebatur, exaudires, ſed etiam ut nõ eſſe maius uinculum inter mortales, & ſummum omnium cõditorem, quam orationem, preceſq; puriſſimas edoceret.

SE Itaq; ad Orationem accinctum prius te inuocaſſe commemorat, quoniam orationis eſt initium inuocatio: Et illius ſane, quæ in tuã proxime, aut per internuncios dirigitur maieſtatẽ. Non. n. dum alios nobis pares, aut inferiores oramus, ita illos inuocare dicimur, aut ab eis auxilium implorare. Sed noſtro quodã iure ita illos eoſdem rogamus, ut ipſis imperare quodammõ uideamur. Inuocatio ſancta, quæ ex intimo pectore ad os uſq; diffunditur: & formatam prius in corde uocem ſignificat. Inuocatio felix, quã Diuinorum Ordinum intelligentia præparat, ſimilitudo confirmat, contactus perficit, ſacratiſſima, & Diuina coniunctio ſequitur. Felix oratio, qua in Cœlum animæ reuocant̃, Et in ſancto tũ circuitu poſitæ ſunt ita Diuinitatis tuæ factæ

participes, ut perennem tecum gloriam ualeant promereri. Sũmus, & pius in te noſter affectus eſt, quo te inuocare debemus. Sed ſine tuo affla tu nihil eſt, quod aut dicere, aut cogitare poſſi mus. Eſaiæ Prophetæ, ubi Calculo ignito tetige ris, emundata ſunt labia: Et eodem non inferior Hieremias, quem ſanctum in matris utero pro creaſti, a a a (inquit) Pater, puer ego ſum, & ſine tuo auxilio loqui non poſſum.

INVOCAVIT Te igitur filius tuus, & pientiſſimis precibus pro reſurrectione, pro ſalu te humani cętus orauit, Et ſe ob ſuam iuſtitiam exauditum eſſe commentus eſt. Iuſta enim, ſi ſa lutaris, eſſe debet oratio. Iuſta, ut quod petitur iuſtum ſit, ne quando nobis (data repulſa) di-catur, neſcitis quid petatis. Iuſtæ quoque dictæ ſunt preces, quæ non ab impio, & iniuſto fun-duntur. Non. n. uerbis ſolũ, ſed ẽt factis ita oran dum eſt, ut impetrata gratia exaudiamur a Do-mino. Scriptum eſt nanq;. non omnis, qui dixe-rit Domine Domine, ſed qui uoluntatem patris mei fuerit executus, Regna Cęleſtia ingredie-tur. Iuſta etiam eſt, immo iuſtiſſima Oratio, qua prolata nos ſtatim exaudiri percipimus. Quum enim iuſtus ſit Deus, immo ſumma iuſtitiæ re-ctitudo, iuſtam a iuſto effuſam orationem exau

diendam differre non ſolet:etiam ſi effectus prę⸗ſentia differatur. Atq; ideo breuiſſimam debere fieri orationem Seruator inſtituit,dum quotieſ⸗cunque orare uolucrimus, inquit.Dicite.Pater noſter &c.quod nõ longo ſane orationis tenore, aut ullo uerborum lenocinio, ſed ſolo cordis affectu ſe exorari poſſe monſtrauerit.Quod quidem hiſce uerbis, dum ſe patrem inuocaſſe, & uoti compotem factum eſſe recenſuit, prætuliſſe conſpicitur.Non.n.quum peroraſſem (inquit) exauditus ſum,ſed quum inuocarem,.i.antequam orationis uerba profunderem, in ipſo orandi propoſito, quod peroptabam, obtinui propter iuſtitiam meam.

ET BONE Deus quęnam filii tui eiuſmodi iuſtitia fuit? Quum enim tecum eſſet unus,& idem Deus,nonne tua quoq; iuſtitia illa & putabatur,& erat? Iuſtum erat,immo iuſtiſſimum, ut quæ ab æterno illi deputata fuerant,cõſequeretur a Patre.Carnis corticem induit, Humana perpeti uoluit,obiit, reſurrexit, redemit Iſrael, clauſtra inferni confregit, hoſtibus terrorem incuſſit,Beatas Patrum animas liberauit, Triumphum ſpectatiſſimum in Cęlum duxit,atq; ideo ſuæ iuſtitiæ adeptus eſt præmium,& exauditus fuit a Patre.

DISCAMVS Nos inde iuſta, atq; honeſta petere, ſi ſtatim uelimus quæcunq; petimus im petrare. Neq; iudeorũ more, quæ corporis ſunt, aut fortunæ: ſed quæ ad animum pertinent, quę Deus ipſe pietate ſua denegare nõ poteſt. Diſcamus inde quum innumeris eſſet, ac immẽſis uir tutibus præditus, ſe Chriſtus ob nullam aliam, quam iuſtitiam exauditum dixiſſe, quod uirtus hæc aliarum omnium mater eſt, & Principi peculiari nota cõueniens. Nihil eſt enim, quod ma gis aures offendat, & animos, quam quum audi tur in eo iniuſtitiam reperiri.

EXAVDITVS Ergo eſt poſt inuocationẽ filius tuus Domine, & ſubſecutę gratiæ ſignum commemorauit inquiens.

IN TRIBVLATIONE DILATASTI MIHI.

PRIVS Se a Deo, quem inuocaſſet, memi nit exauditum fuiſſe: mox te illi Cor ſuum præ ingenti lętitia dilataſſe ſubiunxit, ac ſi elatiorem ibi uocem emitteret, qua geſtientis animi ab eo darentur ſigna, & Maieſtati tuæ gratias agere uideretur. In tribulatione dilatationem cordis ac cepit, quod eo, & naturali quidem indicio, adue niẽte etiam gaudio propulſatum eſſe mœrorem ſentimus, Quod ſane ex optatiſſimi euentus con

ſecutione accidere conſueuit. Neq; ideo ſolum in aduerſis caſibus orandum eſſe docemur. Immo ea uera, integra, tutiſſimaq; extat oratio, quæ cũ lætitia, & proſperitate profunditur. Orant Angeli, qui ſua iamdiu ſunt deſideria conſecuti. Quos non pro aliis ſolum, ſed etiam pro ſeipſis preces effundere credimus, ut in ſua felicitate, & gaudio perſeuerẽt, eo etiam addito, quod perenne illud fore, Deum intelligant ſtatuiſſe. Pro eo.n. quod optant, licet obtineant, orare queunt. Et ea quidem pulchra extat oratio, quæ ſine anxietate in conſpectu tuo habetur.

AT NOBIS, Qui in peccatis concepti ſumus, & uiuimus, eſt ſemper pro eiſdẽ orandum, ut a te Domine tuæ bonitatis, & gratiæ aliquid accipiamus. Neque ſolum pro erratis noſtris id muneris exercẽdum iubetur, ſed etiam aliorum, quibus & naturæ, & pietatis officio natos nos eſſe cognoſcimus. Hinc factum eſt, ut ſacro eloquio moneamur pro nobis inuicem inceſſanter orare, ut ſalui efficiamur. Atque ita certe nobis orandum eſt, ut ex peccatis coacto cordi ea lętitię reſeratio adueniat, qua tua imbibita gratia nunquã amplius (ſi fieri queat) occluſio ſubſequatur. Pateſcẽs.n. & mundũ Cor ſemper diligere uiſus es, & tuæ patentiſſimæ obnoxiũ pietati.

NEQVE Sat eſſe uidebatur ſeruatorem noſtrum dixiſſe facta Oratione ob ſummam innocentiam ſe exauditum fuiſſe, niſi etiam quibus uerbis illam compoſuerit, edocuiſſet. Subdit. n.

MISERERE MEI, ET EXAVDI ORATIONEM MEAM.

AC *Si diceret*. Is ſane fuit meæ inuocationis contextus, quo a Patre uoti factus ſum compos. Miſerere mei, quoniam undique perturbationibus uitæ huius infeſtor. Carnem indoleo, indoleo uenturam mortem, & ut mortalis ſum, opem, & miſericordiam tuam imploro, atque ita enixe, ac ex animo illam efflagito, ut ſtatim orationem meam exauditam intelligam, & ſponte ſuſcepto interitu reſurgere ualeam, partiſq; animarum tropheis ad te redeam, unde me diſcedere uoluiſti.

PRO Seipſo, & nobis ſeruator preces effudit, atq; ideo noſtrum potius, quam ſui ut miſereretur, precatus eſt patrem. Quoniam ipſe Deus eſt, Nos autem omni ex parte debiles, & infimi egemus alterius auxilio. Orauit ergo & orandi modum nobis inſtituit, ut nõ ex operibus nr̃is, ſed ex Dei Optimi liberalitate nos ſaluos fieri poſſe credamus. Et tãto uerius ea nobis debetur oratio, quanto uere miſeri ſumus, obq; noſtram

miſeriam Diuinum auxilium imploramus.

DISCAT Inde moribundus, & ſordidus hemo ſe non amplius felicem uocare. Deſinat ia ctare diuitias, uires, formam, & uanam mundi huius ſapiētiam. Quibus deluſus in miſero uitæ ſtatu reponitur. Diſcat ſe miſerum appellare, etiā ſi toti imperaret orbi. Quoniam & ſe Dei miſericordia indigere Seruator noſter oſtendit, miſeriq; alioqui indignum nomen ſua humanitate ſubire non dubitauit. Non dixit ſuam interiorem pulchritudinem admiratus (quoniam Deus erat) more luciferi. Ponam ſedem meam ab aquilone, & ero ſimilis altiſſimo. Sed pientiſſime quidem patrem orauit, ut miſericordia affe ctus preces ſuas admitteret.

ATQVE Ideo emiſſa oratione, & impetrata ab eo gratia ad ſuos primum perſecutores, deinde ad alios ſuæ familię adſcriptos ſe amicabili uoce conuertit, inquiens.

FILII HOMINVM VSQVEQVO GRAVI CORDE, VT QVID DILIGITIS VANITATEM, ET QVAERITIS MENDACIVM?

SI ORAVI Patrem pro me, ut a mortuis ſurgerem, & exauditus ſum, quid amplius graui corde in me quotidie inſurgitis? mihique, &

nomini meo tanto iniquitatis pondere pręgra-
uati eſtis infenſi? Filios hominum uos ideo ap-
pellare cōſtitui, ꝗ Dei eſſe nō uultis. Potuiſſem
uocare uos (ut uere eſtis) Demonis filios: ſed
honeſtiori uocabulo uſus ſum, ut intelligatis, li-
cet corda ueſtra grauiſſimo impietatis morbo la
borent, poſſe tamen (dum uelitis) ad hominis
officium reuocari. Poteratis, & merito uocari ſer
ui, quoniā ego Dominus: Et ſeruitutis, quæ pec-
cati eſt, ignominiam uobiſcum defertis: Volui
tamen uos uiri filios nuncupare, quoniam mei
filii eſtis, pro quibus & acerrimos pertuli cru-
ciatus, & nefandiſſimam mortem ſubiui, ponēs
item ex ea, qua maxime conflagrabam, charita-
te, animam meam pro uobis. Quos etiam meas
oues, quarum ego Paſtor eſſem, pietatis cauſa no
minaui. Vir nanqꝫ, non homo ſolum extiti, quo-
niam fortis, & magnanimus uiſus ſum. Atqꝫ ita
re ipſa præſtiti, quod omnia miſeriarum graua-
mina ſuperauerim. Vos eoſdē filios adhuc meos
appello, quos ſanguine enutrire conſtitui, licet
me aſpernati ſitis, & gloriam meam cum exul-
tatione pariter obprobrio habeatis: immo uos ip
ſos, & honorem ueſtrum cum ſalute uituperetis.
Vſqꝫ quo igitur (inquit ſeruator Ieſus) hac in
ueſtra pfidia perſeuerabitis? Vos uoco, uos rogo,

ac amantiſſima uoce, ut mihi reſpondeatis, com-
pello. Quandonam erit illa dies, ut labantes pe-
des referatis ad uiam iuſtitiæ, & oretis, ut exau-
diamini a Patre, ut promiſſa uobis hæreditas,
ſalus, imperium ſubſequatur? Quando tempus
aderit, quo doctrinam ſanam, & integram profi
teamini? Quo fidem ſanctam, uitam ingenuam,
actiones puras, & redolentes in conſpectu Do-
mini proferatis? Tunc.n. uere filii Dei eritis, &
merito uocabimini, reiecta procul, & impietatis,
& Hoſtis acerrimi ſeruitute.

VOBIS Certe non ſolum mea hæc uerba
pronũcio, Verumetiam, immo iis potiſſimum,
qui meo ſunt nomine, & inſignibus præditi;
Qui mea gloria, ſuoq; ſingulari beneficio pluri-
mum gauiſi eſſe uidẽtur. Qui paſſim leges meas
& documenta nequaquam ueriti ſunt profiteri.
Qui etiam ſacrorum titulo utuntur, & primas
in Eccleſia ſedes occupare cõſpecti ſunt. Ad hos
me conuerto, & ardentiſſima uoce illos in hunc
modum interrogo. Vſquequo in uanitatibus ue
ſtris, in imperfecta fide, in ſimulata iuſtitia, in
cordium impuritate, in erratorũ ueſtrorum mi-
ſeria permanebitis? Non enim (ut decet) mi-
nus uobis afficior, qui ſemel felicia pietatis inſi-
gnia ſuſcepiſtis, quam illis, qui nunquam eadẽ

admittere uoluerunt. Et quanto magis uos dili-
go, tanto maiore me contumelia afficitis. Eoque
ueſtra eſt impudentia eorum negligētia maior,
quo accepti iam beneficii deteſtanda eſt magis
obliuio. Vani ſunt illi, uos uaniores. Mendaces
illi, uos mendaciſſimi, quod a uanitate, & men-
dacio ſemel recedentes denuo ad iniuſtitiæ inſa
nias rediiſtis; Non credentes baptiſmati, reiicien
tes ſuſcepta ſacra, renunciantes promiſſionibus,
& uotis Deo iureiurando factis: Virtutem nul-
lam, nullam animi integritatem ſeruantes. Quo
uſq; igitur (inquit) in hunc modum animam
meam tolletis? Quādo reſipiſcetis? & redeuntes
ad cor uobis ipſis, fideiq; ueſtræ atteſtabimini?
Vos uoco, uos expanſis manibus, & apertis bra-
chiis prǽſtolor, ut ueniatis, & in ſinum meum re
labamini, quos complexu foueam, & intellecta,
quam ſemel admiſiſtis, ueritate, iuſtitiam exer-
ceatis, uoſq; ideo ueros in filios habeam, & me in
patrem optimum ſuſcipiatis.

NEQVE His ſolum contentus uerbis uſus
eſt redemptor, ſed alia rationabiliora, & iucun-
diora ſubiunxit.

ET SCITOTE QVONIAM MI
RIFICAVIT DOMINVS SAN
CTVM SVVM, EXAVDIET

ME DVM CLAMAVERO AD EVM.

SCITOTE, Quoniam ſcio, & uos ueſtra animi duritie dubitatis. Scitote, & non oculis ſolum, ſed etiam manibus perpẽdite, & contrectate reſurrectionis myſterium cõſumatum fuiſſe: Nanq; dum ſe tangendum ſuis diſcipulis prebuiſſet, palpate (inquit) & uidete, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet. Scitote, quod non eſt uobis amplius dubitandum. Nanq; admirabilem in eius reſurrectione fecit Dominus ſanctum ſuum. Admirabilem uobis, qui nunquam eiuſmodi factum negocium crediditis, admirabilem iis, qui ab infidelitate ſe conuerterunt ad fidem. Admirabilem inferis poteſtatibus, quæ aduenientem illum ter quiſnam eſſet adeo fortis, interrogantes (ut ſcribitur) obſtupuerunt. Admirabilem ſuperis, & uirtutibus Angelorũ, quum nunquam alias conſpicati ſint hominem poſſe ſupra eorum triplici ordine diſtinctos choros diuinitus collocari. Admirabilem omnibus ſæculis, omnibus nationibus glorioſum, & ſanctum filium ſuum. Quem ſe eſſe immenſa ſua modeſtia præteriuit. Neq; ſanctum, quem admirabilem fecerit Dominus, filium uoluit appellare, ne forte ab impiis arrogantiæ crimine accuſa

retur. Sed ſanctum ſuum admirabilem ait Dominum inſtituiſſe. Sanctum ſuum, quoniam æterna lege apud ineffabilis trinitatis cōcilium ſancitum, atq; firmatum fuerat illum hominem futurum, & pro humano genere moriturum. Qui reuiuiſcentiæ beneficio eſſet admiratione digniſſimus.

I MODO Humana ſordes, & proſapiam iacta, uanamq; tuorum ſtegmatum longo ordine nobilitatem quibuſq; horis & mome͞tis commemora. Quum optimus, & ſanctiſſimus Dei filius ſe neq; admirabilem, neq; ſanctum, neque Dei filium auſus ſit appellare. Qui in hunc modum ſermonem ſuum continuat.

EXAVDIET Me, quum clamauero ad eu͞. Clamaui, & exaudiuit me, Quoniam reſurrexi, & me admirabilem fecit ſuper omnia opera manuum ſuarum. Exaudiuit inquam ſemel, quum eius clementiam, & miſericordiam inuocarem. Atq; ideo ſi ad eunde͞ clamauero, ſi preces meas in conſpectu eius profudero, Scitote (quoniam certus ſum) denuo imploratam gratiam impetrabo. Maior utiq; Clamor ille fuit, & inuocatio ardentior, qua totius humani generis ſalute͞ precatus aduerſus ueteres inimicos magnam certe ſum, & glorioſam uictoriam aſſecutus, Quo ſit,

ut ſi tunc exaudiuerit me pater meus, quanto fa cilius, quum hæc, quæ intercedunt, ut pro uo bis orem, petiero, mihi ille ipſe concedat? Sunt enim longe minora, quæ pro conficiendo ſalu tis ueſtræ beneficio uobis ſuperſunt. Adimpletę ſunt leges, conſumata oracula, ſacra exhibita, quibus poteſtis in uia iuſtitiæ, & ueritatis ince dere. Nil ergo aliud extat ut orem pro uobis, niſi ut aſpiret uobis Deus, piaq; uota ueſtra ſecũdet. Et quum aduerſis fortunæ caſibus agitabimini, uires prebeat, uoluntatem confirmet, neque ad dexteram, neq; ad ſiniſtram uos flexos uelit: ſed recto curſu ad ſummum bonum, & animi tran quillitatem conducat.

ANIMADVERTAT Huc impius ethni cus, conſideret perfidus Hebræus, cogitet Chri ſtianus ingratus, menteq; ſana reuoluet quanta ſit benignitas ſeruatoris. Qui nõ ſemel tantum, & inſtantiſſime pro eorum redemptione oraſſe commemorat, ſed denuo ſe paratum oſtendit, ut pientiſſimas preces effundat. Quibus Dei leniat iram, furorem mitiget, differendam obtineat ul tionem. Neq; ueretur ipſe idẽ optimus Orator, ac noſtri cuiuſq; boni author Ieſus ſe pro repeti ta oratione (niſi ueſtra obfuerit culpa) quęcun que libuerit, impetrare. Conſiderate, ac profun

da mente perpendite quanta ſit illius merces in cęlis: quem Theſaurum meritorum reliquerit: quas opes dederit, quas diuitias tulerit. Quibus ditiones ſacræ, felicia Regna, munitiſſima imperia ſubſequentur. Neq; ſolum ſe orantem pro infirmitatibus noſtris dum in cælo uiget, aſſidue pollicetur. Verumetiam antequã ad ſuper cęleſtem patrem aſcenderet, Pontificem nobis dedit Diuina authoritate pditum. Qui ligandi, ſoluendiq; iudicio fungeretur: Nec non huius, & alterius ſæculi animas, quæ nondum ad ſublimia euolauerint, pientiſſimis ſuffragiis adiuuaret. Qui tamen tot beneficiorum immemores, & ingrati quotidie illum negligimus, incultas facies, tenebroſoſq; oculos ad terrena conuertimus, impietate, iracundia, & iniquitate repleti. At ille ipſe propterea nunquam deſinit hortari nos, ut eius precibus digni efficiamur. Qui & ſi ob naturæ fragilitatem ad leuam interdum rationis deflectimus, non tamen inſolentiæ, procacitatis, deſperationiſq; uitio labefactari debere nos admonet. Inquiens.

IRASCIMINI, ET NOLITE PECCARE, QVAE DICITIS IN CORDIBVS VESTRIS. ET IN CVBILIBVS VESTRIS COMPVNGIMINI.

NON Iubet Deus propterea, ut iraſcamur. Sed ſi quandoque nos iraſci contigerit, cauete (inquit) ne in peccatum, quod animam occidit, incauti incidatis. Poteſt enim iracūdia ſine magna Dei offenſa locum habere. Quod primi animi motus noſtræ nequaquam ita ſubiacent poteſtati, ut ne nobis inſultent, prohibere poſſimus. Quos, ne progrediantur, facile cohibemus. Atq; ideo diuinarum litterarum monitis cautū eſt, ne eiuſmodi, paruuli quum fuerint, adoleſcere permittamus, ſed allidamus eos ad petram. Quæ ſeruator noſter eſt Chriſtus, bonarum omnium actionum ſtabile fundamentum. De iracundia ipſe idem uoluit facere mētionem (licet defectuoſa, imbecilliſque natura ſit ad malum in uniuerſum prona) quoniam ad illam promptius, atq; facilius cōcitamur. Eſt enim effectus quidam, qui nos iuſta ſemper de cauſa, & natiuo impetu rationis exagitare uidetur, quum in ultionem illatæ nobis iniuriæ promouemur, Non ita concupiſcentiæ ratio eſt, quæ nos ad uoluptates eiuſmodi concitatione compellat. Prohibentur iræ, ut facilius concupiſcentias auferamus. Maiori eſt occurrendum incendio, ut minores cohibeantur flammæ, & æquabile temperamentum in anima reperiatur.

IRASCIMINI Igitur quādoq;, ſed aduertite (inquit) idem Dominus, ne ſol occidat ſuper iracundia ueſtra. Iraſcimini, & ſubitam accenſionem reſtinguite, ne trangreſſis fortaſſe naturæ impulſibus excuſatione, & uenia careatis. Poteratis iudei primas illas ueſtri in me accenſi ſanguinis arcere commotiones, & nullus fuiſſet uobis imputatus error. Poteſtis & modo quotieſcunq; aduerſis fortunæ caſibus agitamini, uetuſtiſſimum furorem ueſtrum, & inſaniam obliterare; Corda ueſtra ad Pii ſeruatoris uocē, & benignitatem cōuertere. Et non amplius irę, odii, ac impietatis fouere partes. Quibus iam nō in peccato ſolum aſſidue perſeueratis, ſed præ nimia cōſuetudine illo ipō Anima ueſtra fouet.

IRASCITVR quandoq; Deus, ut iuſtitiæ opera exequatur: ſed non eius ea eſt ira, qua homo ſe ualeat excuſare, dum in ultionem accenſus illam proſequitur. Si. n. iuſtus eſt, mente impediri non poteſt, quin quod ſuum eſt, pro uirtute agere ualeat. Nequaquam uera Dei eſt ira. Quoniam ſapientiſſimus in ſeipſo, aut actionibus ſuis non concitatur. Gratificatur uere, & ſupra hominū merita illos eoſdē amplectitur, ſed neq; ueris iracundiæ ſtimulis agitatur, neq; ullis operibus appellationem huiuſmodi illi tribuen-

dam cenſemus. Non.n.ex his, quæ ſunt nobis prohibita, licet aliquod nomen eius confingere: Sed ex illis tantum, in quibus magnopere laudamur. Siquidem omnis iracundia deteſtabilis eſt, licet aliqua eius eruptio ob infirmitatem noſtram, quam ab ortu contraximus, bona nobis cum uenia permittatur.

NEQVE Solum cohibendam eſſe animi accenſionem filius tuus iubet Domine, ut grata ſit in conſpectu tuo eius oratio: ſed etiam antequã exterius prodeat, in cordibus noſtris recto conſilio extinguendam hortatur. Quum.n.quis ſe concitari perſenſerit, prius intus ſua iura compoſuit, quibus paulopoſt prorumpendum eſſe legitime uideatur. Ideo quid dicat, quid ſentiat, quibus rationibus moueatur, penſiculatius cogitet, antequam totum corpus excandeat, & iracundiæ opera proſequatur. Contremiſcat Dei Poteſtatem, eius clementiam, & benignitatem ſuſpiciat, Sileat, inq; cubili ſuo dum in hac cogitatione permanſerit, & aliquãtiſper quieuerit animus, compungatur totus, & non laxabit iracundiæ frena. Sed penitus qui iam inceperat, excandeſcentiæ motum ſedabit. Non perturbato animo, nequaquam corpus immutari conſpicitur: Non flammeſcere oculi, nõ titubare lingua,

non os, aut mentum contremere, non anxium, anhelumue pectus reddi, non nigreſcere labia, neq; dentes fremere, neq; facies, neq; caput, aut manus, & pedes (ut iratis euenire ſolet) geſtibus deturpari. Contremiſcat igitur, qui ſe primo iracundiæ impetu percitum eſſe cognouit. Initium enim ſapientiæ eſt Domini timor. Contremiſcat, & ſe in conſpectu tuo humiliet Domine, Tuamq; immenſam bonitatem conſideret. Errata doleat, & ingemiſcat, compungatur, ſileat, & non prorumpet in popularem uocem. Silentium.n.(ut legitur)tua eſt laus. Et per quietem ſenſilium actionum, in quibus ſemper humanus iactatur ſermo, Diuinitatem tuam agnoſcimus, iuſtitiam celebramus, pietatem colimus, tibi ex immenſa beneficiorum erga nos magnitudine obſequimur: ac omnem iracundiæ, & concupiſcentiæ fomitem radicitus extirpamus.

NON His deinde monitis ſolum ut eius acceptæ ſint preces nos ſeruator hortatus eſt. Quinimmo plenus amoris, & gratiæ legitur ſubdidiſſe.

SACRIFICATE SACRIFICIVM IVSTITIAE, ET SPERATE IN DOMINO.

RESTINCTA Etenim ſæua iracundiæ

flamma, qua plurimum homines exardere ſolent, iuſtitiam nos colere edocet, qua maximum tibi Deo ſacrificium exhibeamus, ut ſalui deniq; efficiamur, & cum eo ipſo filio ſacratiſſimo in cęlis perpetuis temporibus habitemus. Iuſtitię obſeruationem ſacrificium uocat, quod non ſit tibi uirtus alia gratior, qua etiam tuo magis ſanctiſſimo nomini conſecremur. Maxima enim eſt iuſtitiæ amplitudo. Quæ rectitudinem cunctis actionibus humanis imponit. Qua erga te Deũ, & proximum, quod nobis eſt noſtro iniunctum beneficio exequimur. Ex cuius quidẽ legitima obſeruatione leges omnes, & prophetæ dependent. Verum profecto id eſt, & immaculatũ piaculum, quo tibi in errores innumeros, & ſordes prolapſum humanum genus conciliatur, dirigitur, expurgatur. Non.n. ſuauibus nidoribus, aut concinnis uocibus delectaris: Non lectiſſimis ornamentis, precioſiſue tabulis gaudes: Nõ exactis cerimoniis, & aureis muneribus caperis. Non ditiſſimę ſupellectilis, & magno facum apparatu miteſcis, ſed pietiſſimis uotis, caſtiſſimis cordibus, integerrimis iuſtitiæ holocauſtis leniris, flecteris, & poſſideris.

AT Si quis iuſtitiæ opera finxerit, tuique ſacratiſſimi corporis, & ſanguinis ſacrificium im

mutauerit, Antiquam eccleſiæ conſuetudinem, & Patrum authoritatem neglexerit, Miſſas ab rogauerit? qua nam alia orationis uis? quæ uitæ moderatio? quæ carnis afflictio? quæ crux? quis mundanarum rerum contemptus? quod ſacrificium tibi offerri poterit? pro quo a filio tuo exorari uolueris?

HVIVSCEMODI Enim uitæ hominibus non eſt ſperandum in Domino, quod inteſtino ambitu labefactari turgeſcunt, & alterius patriæ bonis efficiuntur indigni. Illis autē ſpes eſſe debet, & expectatio firma, qui recte uixerint, & ſeſe tibi optimum ſacrificium, uiuentēq; hoſtiam exhibuerint. Qui fide integri, & æternę uitæ ſcientiſſimi non eſſe non poſſunt.

EX ALIIS Vero multi quidem ſunt, qui dicant.

QVIS OSTENDET NOBIS BONA?

HOC .n. Sacroſancta pietas habet, ut fide uiuat, iuſtitia ſperet, ſpe gaudeat, & nōdum fere delibatis bonis perfrui uideatur. Multi plane ſunt, qui eiuſmodi ſententiam proferunt, quod unum tantum bonorum genus admittunt, quibus immerſi ſunt, Cætera uero omnia reſpuunt, tanquam uana, & commentitia, quæ nequaquam nos maneant in futura poſt mortem uita.

immo neq; uitam ipſam putant corporis diſſolu
ta compagine ſupereſſe, ſummumq; bonum in
fallaci, & turbulenta ſenſuum uoluptate conſti-
tuunt. Audiant ergo hi, & deſipere aliquando
deſinant, quum ipſe idem optimus, de quo ha-
betur ſermo, Orator noſter Ieſus ſumma pietate
nos moneat inquiens.

SIGNATVM EST SVPER NOS LV
MEN VVLTVS TVI DOMINE.

AC Si diceret. Non ſunt alterius uitæ bona?
Sed quomodo lumen, & ſplendor æterni patris
extat effigiatum in nobis? ſi diſſoluto corpore di
ſpereat anima? In facie præſtantiores ſunt oculi.
Oculus diuinæ Maieſtatis ſummus eſt, & ſplen
didiſſimus intellectus. Hic uero ſui effigiem in
ſibi ſimilem ſubſtantiam imprimit, quæ noſtra
eſt anima. Quam ea etiam ratione creaſſe Deus
conſpicitur, ut ad eius ſimilitudinem conſtituta
ſibi quandoq; perenni beatitudinis uinculo iun
geretur. Quo igitur pacto non ſunt alterius uitę
bona? O inſipientes, & ſtulti corde, q; Theſau-
rum, qui intus in ueſtro animæ ſacrario latet,
penitus ignoratis, aut negligitis, quod alienas
ſordes præponitis ueſtris gemmis & auro, infi-
miſq; delectis ſuprema nauſeabundi contemni-
tis. Signatū eſt itaq; lumen uultus tui Domine

in nobis triplici tuæ maieſtatis radio inſignitũ. Meminimus.n.,intelligimus,& amamus.A memoria intelligentia prouenit,ab utraq; amor exoritur. Tribus ſane iſtis imperfectis luminibus in tuum ſacratiſſimum,& effuſiſſimum lumen aſcendimus,ubi noſtra ſunt gaudia,ubi finis eſt noſter,& requies ſempiterna.Maximum profecto alterius uitæ indicium noſtra hæc in nobis eſt tui ſplẽdoris imago.Maximum,& diuinum filii tui ſapientiſſimi argumentum,& ratio.Qua & humanæ uitæ immortalitatem,& alterius patriæ habitationem oſtendit.Si.n.id nobis natura inditum eſt,ut fluxis,& terrenis rebus noſter ad plenum animus ſatiari non poſſit,ſi diuina,& quæ a materiæ ſordibus abiuncta ſunt,eſſe perpendimus,Si naturam,ſtatumq; noſtrum nequaquam a ſuo fine,& natiuo deſiderio defraudari contingat,Si ad ipſam deniq; æternitatem peroptandam communi quodã inſtinctu propellimur,Quid eſt,quod regionem illam eſſe non credimus? aut deſpicimus? in qua & firma uitæ poſſeſſio,& optimus ob adminiſtratam in terris iuſtitiam fructus accipiatur? Noſtrum id imbecille lumen,quod tui ſplendidiſſimi Solis,non quidẽ ſpeculum eſt,aut eſſe poteſt,ſed umbra,ſi paulo penſiculatius aduertimus,non erit

cur de alterius uitæ bonis ambigere debeamus? Atq; ideo ſeſe colligat homo,& quæ intus effigiata, deſcripta, puriſq; coloribus adumbrata complectitur, aduertat, ſpectet, conſideret, ut ab eo omnis prorſus ſuſpicio tanti myſterii ſubmoueatur. At tuum poſtea Domine ſuper humanas uires nobis demiſſum lumen, eſt, quod in bonorũ tuorum ſpem nos maxime debuit erexiſſe, quod uaticiniis, quod miraculis, quod ſanctiſſima uetere, & recẽtiore lege, quod apoſtolis, quod euangeliis, aliiſq; ſacris patrum editionibus longe, lateq; omnes gentes, & populos illuſtrare uolueris. Hac ratione effectum eſt, ut piæ litteræ te patrem luminum uocent, A quo ſane omne pro ſui natura cuiq; datum, eſt optimum, omneq; inſuper condonatum perfectum eſt. Non enim uno tantum, ſed duplici luminis tui beneficio nos afficere uoluiſti. Quibus uelut maieſtatis tuæ oculis gratiores ſumus, ita etiã magis, ac magis redderemur obnoxii; & facilius ad arcem, fontemq; ſplendoris tui auſpicatiſſimi proueheremur. Bonitate tua, & clementia quum creaueris omnia, tuo etiam fulgore eadem exornaſti, quo in ſeipſis uera ſunt, & pro ſui conditione tuæ ſupremæ ueritati ſimilia. At quæ maioris claritatis munere digna eſſe uidebantur, propria, & pecu-

liari quadam luminis dote ſignaſti,ut rectius,& iuſtitiæ,& liberalitatis tuæ opera explicares: Et mirabilius in ſeipſa conuerſa lumina tibi maiores indies gratias agere uiderentur.

QVO Fit, ut qui alterius uitæ bona nequaquam admiſerint,emācipatum in ſe lumen uultus tui non cogitent. Neq; in ſeipſos,& animam ſuam conuerſi externa ſolum, & obliqua conſiderent. Terrena enim,craſſaq; nimium corporis moles,& ſcelerum magnitudo tuæ in eis diuinitatis radium hebetem facit. Qui eadem ratione ita quidem obtunditur, & tenebraſcit, ut nullum in eis, ne minimum ſane ueſtigium lucis appareat.

AVDIANT Ergo ſanctiſſimi filii uocem, qua ſignatum ſuper nos non manuum, non pedum, non aliorum membrorum, ſed uultus æterni patris lumen ſignificat. Quem ſi hominis cuiuſdam inſtar effingere uoluerimus, pedes ad elementa, brachia & manus ad Cęlos,caput & uultus eius ad Angelos & homines referetur. Qui ab eiuſmodi cōficti corporis partibus ſibi deſignatum ſplendorem acceperint.

ATQVE Ideo amantiſſimus idem Orator noſter Ieſus datam ſibi a patre in corde ſuo læti tiam memorat, quod a pręſtantiſſima ſui parte

non ipſe ſolum, qui eius filius eſſe,& appellari promeruit,ſed cuiuſq; generis homines illuſtrati fuerint,& inter ſacratiſſima beatorũ numina collocati. Non poteſt enim non maxime lætari animus,& gaudere,ſi ſe nouerit ueræ felicitatis factum eſſe participem, Ac tanto quidem ex ea cognitione lætitia maior exoritur,quãto ad præſtantiorem beatitudinis,& trãquillitatis ſtatum perpenderit deſtinatum fuiſſe. Ridere ob hanc potiſſimum cauſam uidentur Cęli,qui micantibus aſtris præ radiorum multitudine,& uarietate exultare quodammodo conſpiciuntur. Suo quoq; fulgore hilares & iucundi Angeli amore flagrant,illuminant alios,pariter & accendunt. Feciſti.n.(ſicut ſcriptum eſt) ſpiritus, illos,& miniſtros tuos,ignem urentem.

SIQVIS Ergo eſt,qui ſeipſum minime nouerit, ſed cecutiens alterius uitæ bona neglexerit,ei maxime Diuinum eſt implorandum auxilium.Quo dicat.Exalta ſuper nos lumen uultus tui Domine,quoniam obcecati ſumus,& ipſum, quod ab ortu nobis dediſti, iam fere extinctum eſt lumen. Tenebris mundi huius, & ſenſuum laqueis præpediti ad fontem ſplendoris tui decurrimus,ac ſupplices te rogamus,ut de oculis tuis exiguus eniteat radius, qui ad caligantem

mentē deueniat,& craſſitudinem eius cum opa/
citate diſrumpat. Nanq; ab ea felici admodum,
& peroptata illuſtratione uehementi cordis lętis
tia afficiemur: Et eorum bonorum, de quibus
maxima facta eſt nobis pollicitatio, deſiderio
conflagrabimus.

QVA ratione effectum eſt, ut quum eiuſ/
modi filius tuus Domine de fallacibus iudeis
fecerit mentionem, quod nequaquam tuo lętati
lumine cęleſtia aſpernati ſint bona, nec unquā,
niſi mundana hæc,& fluxa petierint, Dicat.

A FRVCTV FRVMENTI, VINI, ET OLEI SVI MVLTIPLICATI SVNT.

QVONIAM.ſ.rebus huiuſcemodi ſolis di/
teſcere uoluerunt. Non curarunt Patrē, & filiuȝ
eius agnoſcere. Sanctiſſimum trinitatis myſte/
rium reiecerunt, ſuis in me impietatibus acti,
quæ ad corpus,& fortunam attinuiſſent, perde/
re timuerunt. Quæ uero animæ felicitati con/
duxiſſent, pęnitus abrogarunt. Ego uero, qui fi/
lius tuus ſum Domine,& tuo iuſſu pedibus ter/
ras calcaui, ut illos,& aliorum turbam a pecca/
torum uinculis uindicarem, Qui ſupercęleſtiuȝ
bonorum prędicator extiti,& authoritate tua in
genuus diſtributor. Qui non ut corporalia,&
fluxa, ſed ſpiritalia,& æternę uitæ alimenta ho/

minibus impartirer, acceſſi, qui præter id quod acerbiſſimum mortis ſupplicium pertuli, pro eorum recuperatione & ſalute quotidie Patrem inuoco, ac meas inſtantiſſime illi preces effundo, Ego inquam.

IN PACE IN IDIPSVM DORMIAM, ET REQVIESCAM.

POSTQVAM Enim a ſomno mortis tua benignitate ſurrexerim, non eſt mihi amplius, ut eorum manibus iacter, odiiſue perturber: Sed pulchro & iucundiſſimo ſopore pacis detinear. Qui ſumma eſt gloria, ſumma quies, ſumma felicitas. Circa idipſum igitur pacis propoſitum, in quo ab æterno ego, & Pater una cū ſanctiſſimo flamine uerſati ſumus, perſeuerabo, cupiens mortalibus ſalutem, & eiſdem ſpiritalem alimoniam prebens, ut quæ ſua ſunt, quærant, & reuiuiſcant: ac mecum ipſi idem, quos ardentiſſime quidem dilexi, perpetuis pacis temporibus requieſcant.

INDE Summa ſeruatoris humanitas, ſummum officium, ſummum, & incredibile pietatis exemplum accipi poteſt, quod tot oblitus ſit iniquitatum noſtrarum, quibus illum ſumma iniuria affecimus, nomen eius deſpeximus, uitam abſtulimus, mores, & inſtituta contempſimus,

in malo deniq; propoſito perſeueramus. Ipſe tamen ſe in ſua erga nos antiquiſſima pietate permanſurum ſignificat, & pollicetur. Velit ergo miteſcere impius, parcere iniuria laceſſitus, amare infenſus, quieſcere aduerſis caſibus agitatus. Reſipiſcat iracundus, deſiſtat a uanitatibus cupidus, ſatietur auarus. Et una cũ ſeruatore ſuo, qui pro illis aſſidue p̃ces effundit, orent, oẽs clament, inuocent, exaudientur. Ita.n.quiſq; illius beneficio quum proprium lumen, animiq; decorem inſpexerit, cęleſtia conſequetur. In quibus ſe cum eo pariter pacatiſſime dormire, & requieſcere gloriabitur. QVONIAM inquit ille.

TV DOMINE SINGVLARITER IN SPE CONSTITVISTI ME.

SINGVLARIS Spes data fuit illi redemptionis, & humanæ pacis a Patre, propter quam ſe humilem reddidit, & tantam malorum omnium molem ſuſtinuit, quibus deniq; conſumatis cęleſtem nactus eſt pacem.

ITA ETIAM Singularis ſit nobis ea ſpes, ut in pace uiuamus, & relictis mundanis ſordibus, conſpecto exiguo in nobis lumine ad Diuinum, & Altiſſimum ſolem oculos erigamus.

QVEM, Te pater optime rogamus omne, ſpro quibus aſſidue orat filius tuus Ieſus, & humiliter obſecramus, uelis, ut eius ipſius ductu, & auſpiciis attingere ualeamus, qui Tecum una cum fęliciſſimo nexu uiuit, & Regnat Deus, in ſæcula. Amen.

V

IN PSALMVM. VERBA MEA AVRIBVS PERCIPE. QVI VINCENTI AD HAEREDITATES INSCRIBITVR, ET QVINTVS EST.

t

Anta eſt in nobis Domine ex infirmitate noſtra, quã ſentimus aſſidue, concertatio, ut nequeamus ſine ope miſericordiæ tuæ ſubſiſtere. Licet enim uictrix ratio ſuo iure de ſenſibus triumphare deberet, interdum tamen noſtra culpa ſuccumbit. Quoniam oculos noſtros ad te non tollimus terrena hæc, & infima nimium auide proſecuti. Si ſciremus familiarem, ac intimum nobis hoſtem deuincere, ipſumq; infrenem appetitum aureis, quos dediſti nobis, uinculis continere, facile quidẽ eſſet alios ſuperare, Quibus Cęleſtis hæreditas, ad quam nati ſumus, ſubtrahitur. Creaſti nos Domine, & ſub umbra alarum tuarum legitime con

gregaſti, ut nobis peccatorum, & miſeriarũ uul-
neribus, te Duce, conſuleremus. Sumus uelut in
torrente quodam, hoc in uitæ curriculo conſtitu
ti. Vbi niſi nobis tanquam rector, & auxiliator
affueris, certe peribimus. Quare quum glorio-
ſiſſimus filius tuus te ſemper pro infirmitatibus
noſtris orare uoluerit, noſq; ita credamus, non
alio inſtrumẽto, quo tibi orationes noſtras com
ponamus, utemur, quam quo ipſe emoriens tibi
obſequi uoluit, ut non inutiles terrarum angu-
ſtias, uanamq;, & inſtabilem promiſſam hæredi
tatem, ſed firmas, atq; ampliſſimas, quæ in cęlis
ſunt, opes, eo authore conquirere ualeamus. Et
quoniam nullus eſt, qui alterius non egeat auxi
lio, concordes omnes, unus pro alio, & pro omni
bus quiſq; ad te ſupplex recurrit, inquiens.

VERBA MEA AVRIBVS PERCIPE DOMINE: INTELLIGE CLAMOREM MEVM.

SI.n. orare uolumus, uerba prius neceſſe eſt,
ut ore formemus. non quod penetralia cordium
noſtrorum te lateãt, quia ſingulos eorum ſinus,
& latebras perſcrutaris, dumq; uelis, cogitatus
omnes enumeras: Sed ut quiſq; accendat magis
in tui obſequium, & amorem: Dumq; uerba ido
nea labiis componere ſtudet, animo ſit magis in

tento, totuſq; a tui contemplatione pendere con ſpiciatur. Modus etiam orandi percipitur, ſi te cum colloqui uideamur. Non.n.ſciunt omnes quid orent, quid petant, quid tuæ ſit placitum uolũtati. Data eſt ſane ob eam cauſam a te Deus hominibus lingua, ut animi conceptus ualeant explicare: Indeq; alius, atq; alius alterius exẽplo diſcat non modo inter homines fari, ut quibus egeat, exprimat, ſed etiam ad Cęlum, unde exortus ſit, intẽtiſſimas preces effundat. Non poteſt homo interdum præ nimio, quo angitur, affectu ſe abſtinere a ſermone cum mutis, dum de anxietate ſua conqueritur. Aut.n. aduerſæ fortunæ caſus enumerat, aut ſecum ipſe recenſet quænam omiſerit, aut obeunda ſint, ut uoti compos efficiatur. Sermone animus gaudet, clareſcit ratio, Tedium abigitur, ſpiritus recreatur, mens ſibi refocillata conſtat, & quæ ſua ſunt, recto curſu proſequitur. Quãto magis tecum homo eniti debet, ut colloquatur, qui non elinguis, aut mutus, ſed eloquentiſſimus Deus es? Qui ſcriptis, prophetis, operibus, quæ tuã enarrent gloriam, nobis quotidie loqueris? Atq; ideo dulcia, omnique ſuauitate ſuauiora facta eſſe eloquia tua dicimus, & conſtituta ſupra mel, & fauum. Hac ratione ad te formata uerba dirigimus, quum ta

men prius quales noſtri fuerint mentis conce-
ptus, agnoueris. Verba, quibus animus explica
tur, & tuæ interdum ita demulcentur aures, ut
pro factis nobis reputata ſint, & a te (licet im-
merito) exaudiamur. Hac ratione audemus in
conſpectu tuo compoſitos proferre ſermones, &
animati coram ſolio maieſtatis tuæ prodimus.
Nam uſq; adeo pius es, & miſericors Deus, ut &
filium tuum te pro nobis indeſinenter orare uo
lueris: Et nos (ni fallor) tua ineffabili pietate,
ut oremus, orare quodammodo uidearis. Hinc
plane fit, ut congregatio tua, quam inſtituiſti, &
tuis inſignibus exornaſti, ſui ipſius confiſa iu-
ges preces effundat, pientiſſimaq; uerba pronun
ciet, quibus opem tuam imploret. Verba mea
(inquit) auribus percipe Domine, quæ nullo
ſunt prorſus ornata fuco, aut Lenocinio præpa-
rata. Verba inculta, & auribus tuis indigna, ſed
tamen puro corde prolata. Verba, quibus ſi de-
ſunt facta, animus deeſſe non poteſt. Quæ ſane
mea eſſe teſtificor, quoniam ieiuna, manca, inſul
ſa quum ſint, tuæ ſapientiæ, & gratiæ ſuppleme
to indigent, ut coram tua amplitudine merito
proferãtur. Eoq; audẽtius mea ad te facio uerba,
quod ore ad os quandoq; maiores noſtros non
dedignatus es alloqui. Quod etiam unigenitus

tuus quoties ad orationem acceſſerit, non corde ſolo, ſed labiis id executus eſt, dum a ſe calicem, quem bibiturus erat (ſi fieri potuiſſet) auſerri precatus eſt: Et ſuum tibi in cruce ſpiritum commendauit. Ipſe quoq; filius, tuum eſt admirabile uerbum. Quo uelut ex ore mentis tuæ fecundiſſime prodiens tuam exprimit poteſtatem, ita ſe tibi gloria, & honore parem oſtendit. Verba mea (inquit ecclesia) auribus tuis percipe Domine, ut quandoq; ipſa eadem digna efficiatur audiendi uoces tuas. Quibus (ut ſolebat) ſe ſponſam, amicam, & columbam filii tui, formoſam, atq; dilectam abs te, & ab eo pariter appellari perſentiat: Atq; ideo hilaris, & iucũda, omni argento, auroq;, & gemmis ornatior coram te poſita ingentes tibi gratias agere uideatur.

AVRIBVS Tuis, te rogat Domine, ut ſua uerba percipias, quoniam nullis aliorum precibus uti ſtatuerit, ut imploratam gratiam conſequatur: Animoſior fortaſſe facta, quam deceat, ſed ſpe, & confidentia bonitatis tuæ ſuffulcta. Aures uero tuæ mitiſſime Deus ſunt iuſtitia, & pietas. Nanq; iniuſta, & impia audire nõ potes. Neq; una tantum iuſtitiæ aure indigemus, ut orationes noſtras, & inculta uerba percipias, ꝗ ſane noſtris operibus indigni ſumus, ut audia-

mura te. Sed miſericordiæ tuæ facti participes ſperare audemus, & petere, quæ alioqui iuſte nobis concedi non poſſent. Quare altera ex tuis magis grata nobis eſt auris, quæ facilius demulcetur, & patet, ut peccatorum uoces admittat. Dextramq́ꝫ propterea illam appellare poterimus, qua quidem melius, atq́ꝫ facilius noſtra uota ſecũdes. Grata uero auditus attenti, optimam intelligentiam præparat, & orantem ſæpius uoti compotem facit.

QVVM Illius itaq́ꝫ uerba auſcultaueris Domine, ut clamorem ſuum intelligas, te orat eccleſia. Sperat.n. immo certa eſt, ſi petitionem eius bene perceperis, non tantum uocis eius clamorem, ſed etiam cordis meditationẽ intelliges. Clamat ad te, ut penetralia eius, & animi uoluntatem reſpicias. Clamat, non ut audiatur ſolum, ſed etiam intelligatur, & poſtquam audita, atq́ꝫ intellecta fuerit, exaudiatur a te.

CLAMOR iſte, bone Deus, magnaq́ꝫ ſponſæ filii tui uociferatio undenam prodiit? Eſt ne inſana, aut inſolens facta, quod tam temere coram te, & pientiſſimo ſponſo ſtrideat, exclamet? Es ne tu Domine uſq́ꝫ adeo ſurdis auribus? aut ita procul diſtas ab ea, ut elatiorem longe quam deceat, uocem emittat? Nonne tua ubiq́ꝫ uis ui-

get? urget prȩſentia? conſpectus adeſt? Nonne Cȩlū,terram,maria,& Elemēta omnia occupas? Tota inſanire non poteſt,quoniam eam elegiſti, & mira animi pulchritudine decoraſti.Quæ cuꝫ inſania,& inſolentia ſe eſſe non patitur.

EXCLAMAT Ergo,quoniam uehemēter tibi afficitur,& exaudiri peroptat. Exclamat,ꝙ in maximis iactationibus conſtituta, quo ſummopere indiget,auxilium tuum implorat.Quando mandata tua deſpiciuntur, pietas non obſeruatur,iuſtitia opprimitur,rectus uiuēdi modus aufertur,commune Reip.bonum omittitur:ſeditionibus,odiis,ſimultatibus,& atrociſſimis bellorum turbinibus cōplentur omnia: Tuiqꝫ ideo nominis hoſtibus manus dantur,ut illam cōturbent,agitent, & niſi tuo numine adiuta fuerit, prorſus inuertant. Hȩc ingentis clamoris ratio, hæc implorationis uehementis cauſa. Qua quū maxime ſe affligat eccleſia, ne pereat,ad te confugit,& intentiſſima uoce precatur:ut uerba ſua quomodocunqꝫ prolata auribus tuis percipias Domine, & percipiendo intelligas clamorem ſuum, qui ab intima pectoris meditatione prodierit.

NON Dixit percipe, & intellige,ſed percipe intellige clamorem meum, Quoniam auriuꝫ

tuarum perceptio ab intelligētia tua non diſcre pat, immo unum, & idem ſunt. Atq; ideo dum te precatur, ut uerba ſua percipias, idem exprimere uiſa eſt. ac ſi dicat, me, meumq; cogitatum, & clamorem intellige. Et quoniam tua etiam intelligentia, quando iuſtæ ſunt peccatorum preces, pro tuæ ſacratiſſimæ uoluntatis ſentētia haberi poteſt, hinc factum eſt, ut poſt illam, tuam etiam intētionem, & almæ uoluntatis decretum eccleſia implorare non differat. inquiens

INTENDE VOCI ORATIONIS MEAE REX MEVS, ET DEVS MEVS.

SIQVIS Sane a Principe quicquam duxerit impetrandum, primum roget illum, ut adhibeat aures, opus eſt, deinde, ut petita intelligat, Demum ſi hæc iuſta fuerint, annuat. Vno, & eodem contextu tibi tria hęc nurus tua petere uiſa eſt, ut quoniam iuſtus es, & omnia momento libras, uerborum apparatu te non indigere monſtraret. Ac ſi dixiſſet, non in oratione mea attentum te faciam Domine, neq; ut minutim quæcunq; dixero, intelligas, obſecrabo, ſed ut ſtatim, quum me audieris, immo antequam mea proferam uerba, te oro, & obſecro, ut exaudias me, & intendas uoci orationis meæ.

Atq; ita intendas,ut quod cupio,tu quoq; uelis, & ſtatuas, Vtriuſq; noſtrum ſit unum, & idem uotum,una, & incommutata uoluntas. Ad tui enim obſequium nata ſum,tibi parendum eſt,a te meæ pulchritudinis ſperanda eſt conſeruatio Rex Meus,& Deus meus.

NANQVE Licet me ſponſam filii tui eſſe uolueris, Te tamen una cum ipſo Regē meum, & Dominum appellare conſtitui: Quoniam es. Neq; ſolum te Dominum uoco,ſed etiam Deum optimum maximum.Qui regas omnia,imperes uniuerſis,tuo iure,quod ſuum eſt, unicuiq; diſtribuas.Dum ſane tua adminiſtratione,& pro uidentia maxime indigeo, Te ſocerum meum, aut filium tuum ſponſum appellare non audeo, præſertim, quod mei plurimum niteris amiſerim: ſuſceptæq; a te dignitatis, & authoritatis fere mihi ablatum ſit munus: Quod delinquentium ignauia,& inſolentia impiorum,uera tibi, & inculta quidem,facta ſum ſerua, nullo ferme tecum affinitatis, aut beneuolentiæ nexu coniuncta.Intende pater, quoniam infeſtor undiq; ab hoſtibus, qui me quotidie perturbant,& lacerant: Qui me affligunt,& fere uſq; ad internicionem deducunt.Intende oculos,& mentē tuam, intende manus, & dexteram potentiæ tuæ, ut

uirtutem, & mirabilia faciat in terra Aegipti. Quæ ſane hoſtilis eſt, & uirulenta, ac omni amaritudine amarior. Ita.n. liberata quum fuero, ſi mihi intenderis, in terram promiſſionis deueniam. Quæ plane ſancta eſt, ſuauis, & omni iucunditate iucundior. Duritiem, & aſperitatem ſonat Aegyptus. Vbi nulla quidem animi hæreditas, nulla libertas, nulla manſuetudo, aut requies inuenitur. Intende Pater optime, ſuccurre, & ſubueni, ut ſi me in dilectam, & formoſam habueris, nunc quoq; me ad decorem priſtinum redire uelis, & diligas. Quando decolorauit me Tuus ſol, quoniam cum alienigenis commiſceri coacta ſum, & puritatis meæ Candorem, quo ſplendeſcebam, amittere. Intende, & ſpiritum tuum demitte, ut recreer, & renouetur in me facies animæ meæ. Intende, rectoq; curſu propera, ac magna uirtute calamitati meæ ſuccurre. Quoniam ſupplex, & ex intimis cordis penetralibus ad te preces meas effundo. Quas præ nimio pietatis ardore, unde incipiam neſcio, & ſi tumultuarie incepero, non uideo quo tendam, aut quibus uerbis ſermoni meo inculto, inconcinniſq; uocibus finem imponam. Vereor propterea optime Pater, ne quum his preludiis me ad orandam maieſtatem tuam accingo, deficiam, ſoloq;

exordio contenta me tuæ prorſus ſapientiæ, & pietati committam. Oraui etenim ſępius te, & ad orationis calcem perueni. Nunc uero id agere mihi meus non ſuppetit animus, aut uires ſufficiunt, quod noctis quadam caligine obtenebrari uideat: Et inimicorum tuorum (quos in ſinu meo, & complexu inuita detineo) impietate conſpergar. Oraui, oroq́;, & in futurum orabo, ut quantum in me erit, paucis comitata noctis huius tenebras (quas te odiſſe ſcio) procul abiiciam. Speroq́; matutinis tam iuſtitiæ, quam pietatis tuæ temporibus exaudies uocem meam. Atq́; idipſum præ nimia lętitia repeto.

ORABO AD TE DOMINE, ET MANE EXAVDIES VOCEM MEAM.

NON Enim tuus Sol nubibus lętari ſolet, aut tenebroſis illabitur oculis. Lux tua animi puritatem deſiderat, qua, quum affectus fuerit ſplendere maxime ualeat: Et demum inter proxima tuæ Maieſtati, atq́; felicia numina collocari. Orabo ergo mane, & mane exaudies me. Si uero non mane orauero, nō utiq́; exaudies. Quãuis .n. ſemel e matris utero exierim, fonteq́; puriſſimo abluta, e defedato prius ſim orta conceptu; Quum tamen ex meis pleriq́; omnes in perniicioſam denuo, & frequẽtem labem inciderint,

amiſſam lucem recuperent, & tanquam ſtellæ de profundo noctis oriantur denuo, opus eſt, fulgoris tui prꝗſtantiſſimi radiis illuſtratæ.

ORARE Potuit, & proculdubio antequã filii tui, ſeruatoriſq; noſtri lumen ſpectaretur, orauit eccleſia. Sed niſi, poſtquam uti maximus, & optatiſſimus Sol, ubi delituiſſet, apparuit, exaudita non fuit. Orauit te ipſe idẽ aſſidue filius, ut inſtitutum ab æterno legationis munus ſibi demandaretur: ſuæq; ſanctiſſimæ, quam elegerat, ciuitati lucem pariter, & ſalutẽ afferret. Non erat ullum ei noctis impedimentum, quod tua, & ipſius eſt una, & eadem Lux, quæ totum uniuerſum illuminat. Sed tamen poſt diuturnas mundi huius tenebras matutino tẽpore factus eſt uoti compos a Patre. Atq; ideo ſcriptum auſpicatiſſime legitur. Surge, & illuminare Hieruſalem, quia uenit lumen tuum, & gloria Domini orta eſt in te. Quando ille ipſe, & tu pariter exaudiri promeruiſti. Eo tempore dixiſſe poteras o feliciſſimum mane. & uere aureus ſolis ortus, quo tam ſalutaris, & glorioſus mihi dies illuxit. Felix oratio, quæ te tantum ex olympo ſolem deduxit. Beatiſſimæ preces, quæ poſt longam ſeruitutis caliginem me ſummo libertatis ſplendore donarunt. Fauſtiſſimus, alboq; lapillo ſignan

dus dies, qui me Regiam ciuitatem inſtituit, & ueluti dilectiſſimam ſponſam, Aeterni Patris filio perpetuo connubio iunxit. Per imam noctẽ oraui, & mane exaudita ſum. Antequam exaudirer, ſperabam omnino tanquam aurora quædam mane una cum fulgentiſſimo ſole conſurgere. Quum uero, quod diutius efflagitaſſem, deniq; obtinuerim, moxq; mihi per tempus lumen defecerit, ſtellarum inſtar, quæ interdum deliquium patiuntur, mane denuo tibi aſſiſtam Domine, ut mane me hilarem, & clareſcẽtẽ efficias.

QVOD Quum item hac tempeſtate contigerit, bone Deus, neq; unquam magis tua hæc luna defecerit, ob innumeras agitatorum hominum ſordes, ad te ſuum ſplendidiſſimum ſolem conuerſa in hunc modum alloquitur.

MANE ASTABO TIBI, ET VIDEBO. QVONIAM NON DEVS VOLENS INIQVITATEM TV ES.

ASSISTAM Igitur, atq; ita pręparabo me, ut pro tua pietate meis annuas uotis. Quod quidem eſt mane tibi aſſiſtere. Nam qui imparatus ad orationem acceſſerit, tibi in tenebris herere dicitur, immo uerius non herere, aut aſſiſtere, ſed diſtare procul, neq; is unquam uoti compos efficitur. Paratus eſt, qui uiam Domini, in

qua ambulet, præparauerit, & rectas iuſtitiæ ſe-
mitas faciet. Imparatus uero, qui iniquitates ob
ſeruauerit, & ueritatis, atq; modeſtiæ pondus ſu
ſtinere non poterit. Aſtabo igitur mane tibi, &
uidebo. ipſa eadem inquit eccleſia, ac ſi dicat, niſi
eo tempore tibi aſtitero, utiq; non uidebo gloriā
tuam, neq; petitio mea grata erit in conſpectu
tuo. Clauſi mihi erunt oculi mei, ac uere cecu-
tiens obuertam illos, & expectabo unde matuti-
num mihi lumen appareat, quo tuæ ſerenitatis
uultum proſpiciam. Tunc ſane ex aperto cogno
ſcam te uerum Deum eſſe, atq; intelligam nulla
impietate quāuis minima inflecti poſſe, ſed puri
tatem cordis, atq; animi ſinceritatem expetere,
ut gratiam tuam infundas, tibiq; fidelium cętus
pares, atq; concilies. Quo.n. pacto fieri poteſt, ſi
iuſtus, & pius es, ut impietatem, & iniuſtitiam
diligas? ſi hominibus bonum procuras, ut malū
uelis? Et qui doloſe congregationi tuæ officiunt,
ut eos protegas, atque defendas? Duæ nanque
(neſcio qua ſorte) inuentæ ſunt ciuitates. Qua
rum Dei altera Hieroſolima, quæ pacis inſpe-
ctio interpretatur, altera Babilon, & cacodemo-
nis dicta eſt. Quam ob aſſiduam eius inquietu-
dinem, & prauitatem odiſti, quod neq; tu illam
feceris, ſed a ſemetipſa (te ferme inuito) ad mi-

ſeriarum ima deciderit. Ego uero ciuitas tua tecum mane ueluti ſtella conſurgens, Quam elegiſti, & deſtinaſti ad gloriæ tuæ hæreditatem, ſpero exaudies me: & quemadmodum filii tui coniugio, ita Cęleſtis quoq; patriæ fructu donabis. Quo felices illæ nuptiæ perpetuis temporibus celebrentur. Altera uero eſt, quæ ſub iniquitatis Principe ſuum malignum, & deteſtãdum coaluit ſpiritum. Quæ item coram te ſanctum, quod dediſti illi, labefactare, & a uoluntate tua auertere non erubuit. Quæ feliciſſima ſeruatoris ſponſalia detrectauit, Quæ faſtus, furoris, cedis, rapinæ, mendacii partes ſecuta eſt: Et tibi ueluti nunquam aſſiſtere uoluit, ita neq; gloriam maieſtatis tuæ proſpiciet: Semperq; ad ueſperas animo, & oratione cõtendet. Non. n. pudet Virum impium, & iniuſtum ſua petulantia confiſum orare, & petere, quæ iuſto Dei iudicio illi concedi non poſſunt. Mala, & execrabilis conſuetudo ita hominum ingenia obtundit, uelat, obnubilat, ut neq; ſeipſos, neq; alia in tuo beatiſſimo lumine, ſed in propriis tenebris intueantur. Quamobrem quantouis ſplendore natiuo refulgeant, nunquam ad mane tuum conſurgunt, uerum in ueſpertinis luminibus negociantur.

DVPLICI Hac rerum contemplatione ſex

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Dierum opera in mundi ſabrica diſtinguuntur. Quorum ueſperę, & mane coniuncta ſingilatim circulum complent, tuæ ſapientiæ, & bonitati gratiſſimum. Quo etiam fit, ut (quum ueſpera non ſolum rei cognitionem in proprio genere; uerumetiam ſequentis diei initium ſonet, quo res creabilis in uerbo perſpici dicitur) in hunc modum dies ſeptimus, qui ſane ſabbati, & quietis eſt, ueſperas non habere dicatur.

QVICVNQVE Igitur ad te conſurgunt, te uident, tuo ſempiterno lumine gaudeant. In quo ſeipſos, & rerum omnium opificium ſpectant, te laudant, & tibi gratias agunt, ſuam omnem in te quietem, & tranquillitatem conſtituunt.

QVARE Quum huiuſcemodi omnia tibi tua eccleſia memoret, aliorum ſibi aduerſantiu perfidiam, inquietudinem, iacturam reticere nõ poteſt inquiens.

NEQVE HABITABIT IVXTA TE MALIGNVS, NEQVE PERMANEBVNT INIVSTI ANTE OCVLOS TVOS;

SI ENIM Iniquitatem non odiſſe nõ potes, malignum hominẽ, qui & iniquus eſt, quomodo apud te habitare permittes? Tua ſane

ſumme Pater habitatio eſt florida, lęta, ſuauis. Apud te purum, & immaculatum animarum conſortium, frequentes Angelorum cętus, Beatorum ſpirituum agmina, Tot ſpecioſiſſima, & candidiſſima lumina in tuum conuerſa ſolem. Quæ nihil profecto malignæ noctis, aut tenebricoſi ſilentii prqrſus admittunt. Malignorum autem habitatio deſerta eſt, arida, & obſcura. Vbi fletus, & ſtridor dentium. Vbi angoris, & incendii finis eſſe non poteſt. Noluerunt ſiquidem benedictionem, & procul remota eſt ab eis. Voluerunt maledictionem, & adiecta eſt illis.

DE INIVSTIS Vero quid dicam? Qui ob id, quod abuſi ſunt authoritate illis cōceſſa, per obliqua, & inuia incedentes declinauerunt a ſemita mandatorum tuorum. Quid inquam mihi dicendum eſt? Habitabunt ne iuxta te? In tuum ne illos ſuſcipies habitaculum? Quod quidem malcolentiæ nihil, ſed ſuauiſſimum bonarum actionum ſpirat odorem. Suſcipies ne, an reiicies potius? Si reiicies, illuc prius aduentaſſe dicetur. At quomodo per iniuſtitiam facti ſunt Regno tuo immaculato propinqui? Non reiicies ergo iniuſtos, aut propelles a te glorioſiſſime Pater, ſed ante oculos tuos permanere nō poterunt. Eminus certe, atq; in immenſum tua

proſpiciunt lumina. Verum tanta eſt iniuſtitiæ uis,& abhominabile ſcelus,ut eiuſmodi labe infectos homines intueri non poſſis. Atq; ideo coram te concident,& non ſubſiſtent eorũ iudicia. Vires,geſta,imperia,tetræq; tyrannides nõ permanebunt,ſed corruent in profundum. Neque ſane illos in ſinu meo complectar, niſi forte per fraudem, & ſimulatam ſidem ſeſe mihi in gremium introcluſerint. Quos demũ detectos procul abiiciam,& tuis ſacroſanctis uirtutum,& donorum monilibus ornata gaudebo corã te Deo meo,Patre,& Domino uniuerſorum. Abiiciam plane procul iniuſtos,quia amore ardeo erga te. Et tu uerſa uice me diligis,atq; unicam tuam appellas. Diligis me,& inimicos meos odio habes, qui me,& nomen tuum ſanctiſſimum perſecuti ſunt gratis.

ODISTI OMNES, QVI OPERANTVR INIQVITATEM PERDES OMNES, QVI LOQVENTVR MENDACIVM.

ODISTI, Quoniam perperam egerunt, antequã filius tuus demitteretur ab alto. Odiſti, quoniam poſt aduentum eius in ſuis iniquitatibus duriſſime perſeuerarunt. Vbi neq; timor ullus poteſtatis tuæ,neq; pœnarum tremor inuen

tus eſt. Sed petulantia, libido, ambitus, impie-
tas, & inſenſiſſimum tuæ Diuinitati mendaciũ.
Odiſti eos, & conturbaſti, odiſti, & regno tuo,
tua gratia, tua felicitate priuaſti. Immo ſeipſos
odio uiſi ſunt habuiſſe coaliti, atq; coacti in deſi-
deriis ſuis: Non diligentes ſanctum ſuum, non
curantes ſpiritum ueritatis. Qui (quotieſcunq;
uoluiſſent) locutus eſſet in illis. Neq; ſolum lo-
cutus, ſed mirabilia operatus, ut de ciuitate per-
dita ad ſacroſanctum hominum conuentum de
ducti ſuas infirmitates cum immortalitate mu-
taſſent. Neq; duæ profecto eſſent ciuitates, qua
rum altera Demoni, & perditiſſimo omnium ſpi
ritui deſeruiret: Sed una tantum ciuitas, una cõ
gregatio, unus conuentus. Qui longo bonarum
mentium ordine tibi ſummo, uero, optimo om-
nium Principi obſequeretur. Velut.n. unitate
gaudes Domine, ita multitudinem ſpernis, Quę
ſimplici unitatis uinculo necti non poteſt. Quo
fit, ut Beatiſſima trium Hypoſtaſum tibi ſit uni
tas, & ſimpliciſſima atq; indiuiſa perfectio. Non
poteſt duabus in Ciuitatibus, ubi incertus eſt
ordo, communis pax, & rectus uiuendi modus
inſtitui. Cum una, & eadẽ ueritate uarii, & cões
hominum cõſenſus nequeunt inueniri. Veritas
omnis pura eſt, atq; ſincera, quæ quidem alteri

ueritati repugnare non poteſt,neq; ullo quãtulo cunq; mendacio cõmiſceri.Ipſe tu ueritas es, & ueritatum omnium fons,atq; principium.Filius tuus eſt ueritas,immo primum ueritatis uerbũ, per quod facta ſunt ſæcula, & cui ueritates aliæ ſubminiſtrant,Veritas eſt amor ille tuus immẽſus ex tua fecũdiſſima,& filii ueritate profectus. Qui certe in odium, & furorem aduerſus mendacium commutatur.Odio habes,& merito quidem iniuſtum, quod tuam in externis actibus inuiolabilem iuſtitiam adminiſtras. Sed eũ qui mendacium profitetur, maxime odiſſe debes, quoniam inteſtinis tuis, & peculiaribus ornamentis opponitur.Iniuſtus quoq; licet opere,& ſermone ſit mendax,& ſecus, quam dictet ratio exequatur,non tamen omnem prorſus reiicit ueritatem.Ex multis ſane,& ſimplicibus, & compoſitis mentis actionibus,quæ ueritatem attingunt,adiectis falſis falſitatem,& errorem enunciat. At qui omnibus modis eſt mendax omni prorſus ueritatis lumine caret, & in profundiſſima tenebrarum nocte uerſatur.

ODISTI Igitur recta ratione mendaces, neq; id ſolum, uerumetiam perdidiſti.Immo ſe ipſos turpiter perdiderunt, eo quod non cuſtodiuerint ſe ab inquinamentis animarum ſuarũ.

Perdidiſti, & in futurum perdes loquentes, & ſentientes mendacium. Non.n.mendax ille ſolum eſt, qui aliud corde ſentit, & aliud uoce pronunciat: ſed etiam qui tacet, dum male ſentit de fide, de moribus, de ſui ipſius, & alterius uita. Is nanq́ eſt ueritati contrarius, qui dum hac in falſitate perſeuerauerit, perdendus omnino eſt, atq́ extra egregię, & perſpicuę ciuitatis terminos ſtatuendus. In qua ſcriptum eſt habitare illos ſolũ modo, qui ueritatẽ in cordibus ſuis locuti ſunt. Qui non egerunt dolum in lingua ſua. Deteſtandi profecto utriq́, At minus hi, quoniã ſibi ipſis tantummodo nocere queunt: Illi uero & ſibi, & aliis. Non enim quis mendax eſt ore, niſi prius mendacium in corde formauerit, credat illud, aut non credat.

EXCLVDETVR Etiam ab hac tua ſanctiſſima ciuitate uir ſanguinolentus & doloſus. Atq́ ideo ab eccleſia ſubditur.

VIRVM SANGVINVM, ET DOLOSVM ABHOMINABITVR DOMINVS.

QVOD Qui in Sanguine ſuas uerſant manus, atroces ſunt, & impii, nulla religione, nulla humanitate pręditi. Sed ferarum more, effigie, animo, natura abuſi ſunt ſua. Quos quidem non

modo perditiſſimos uoluit Dominus: Verum etiam abhominabitur illos, & nomina eorum. Quantum.n.ſit Deo optimo infenſum, per uim eius tam celebre, tantiſq; artibus, & ingeniis conſtructum opus diſſolui, nemo eſt, qui merito ambigat. Sęuities, quæ humanum genus nō mutat ſolum, ſed etiā inuertit, ſumma profecto eſt, & quæ ſuperbam Babiloniam a Cęleſti cōſortio procul abducit. Eiuſmodi enim uitæ homines, qui in ſanguine ſuas aſſidue uolutant manus, facile in ſe omnia uitiorum genera cōplectuntur. Maligni ſiquidem ſunt, iniuſti, mendaces, & luporum omnium rapaciſſimi. Quibus certe (ut uidere eſt) omne ſcelus frontem perfricuit. Qua ratione ſponſa filii tui dilecta, quum ſe nouerit ab huiuſmodi perditionis cōuentu exemptam, in hunc modum tecum dum loquitur, ſummo pere gloriatur.

EGO AVTEM IN MVLTITVDINE MISERICORDIAE TVAE INTROIBO IN DOMVM TVAM: ADORABO AD TEMPLVM SANCTVM TVVM IN TIMORE TVO.

SI LICET Gloriari, maxime glorior (non enim aut odiſti me Domine, aut pdere uoluiſti)

ſalua per te facta ſum. Protexiſti me a malignan
tium conuentu, & longo interuallo ab iniquo-
rum conſortio diremiſti. Sine tuo numine repro
bata eram, & ex meis quibuſq; actionibus ad
tantam ſplendoris tui gloriam eleuari non pote
ram. Verumtamen miſericordiæ tuæ beneficio
immortali Donata ad Beatiſſimas atrii tui ſedes
deſtinata ſum, atq; infimis mundi huius anfra-
ctibus liberata. Si glorior itaq; non in meipſa,
ſed in tua miſericordia glorior, qua ſanctiſſimã
Domum tuam ingrediar, & me cęleſti familiæ
tuæ adſcribes. Tua hæc eſt gloria optime Pater,
non mea, quod imbecilla ſum, & infima, quod
in peccatis concepta, tuæq; ampliſſimæ liberali-
tati id muneris eſt merito tribuẽdum. Domum
tuam glorioſam, ac præ omni laude digniſſimã
quali me credis animo ingreſſuram? Qua læti-
tia? Quo iubilo? Qua exultatione ſentiam oſcula
ſponſi mei amantiſſimi genis meis infigi? Qua
ſuauitate, & ſpirantiſſima fragrantia Diuinum
eius os meo indigno, ſed dilecto ori iunctum ex
periar? Quo ipſe uultu? quibus congreſſibus me
in Thalamum ſuum ſuſcipiet? Quo me honeſta
bit conuiuio? Quibus ueſcemur epulis? Quo cę
litum concentu, atq; tripudio tam fęlices, atque
pręſtantes nuptiæ celebrabuntur? Geſtit fere

nunc in immenſum animus meus, dum hęc ipſa commemoro. Quæ me longo poſt temporis ſpacio prę ſtolantur, inde quæſo conſidera mi pater, & Domine (quod iam optime noſti) lętabor ne, aut potius geſtiam, quum me Domum tuā ſanctam recepero. Quando uno, & eodem actu te Deum optimuꝫ, Sanctiſſima trinitatis lumina: Angelorum choros, Cęlitum cateruas, totum deniqꝫ, ac triforme uniuerſum potero contueri.

TVNC Etiam adorabo te Domine ad templum ſanctum tuum in timore tuo. Adorabo, quoniam Deus es, non ubicunqꝫ (in Domo.n. tua, ut ſcribitur, manſiones ſunt multæ) ſed iuxta altare tuum in tabernaculo tuo. Vbi eſt locus, qui ſancta ſanctorum uocatur, ubi alata ſedent cherubin, Quorum alæ faciem tuam obuelant. Quoniam nequimus per eorum naturam in tuę diuinitatis perſpicuam notitiam deuenire. Licet enim hi ſacratiſſimi ſpiritus inter res creatas ſplendidiſſimæ intelligentiæ priuilegium habeant, non poſſunt tamen ſuis quantumuis pernicioribus alis ad contemplationem tui altiſſimam euolare. Siquis ergo eo curſu uellet tantæ felicitatis metam attingere, palam eſt eum, niſi ad obuelatam faciem tuam, peruenire nō poſſe. Atqꝫ ideo non noſtro, aut Angelorum uolatu co

uſq; pertingimus,ſed tuo opus eſt numine,aura, & afflatu.Quo & primam Domus tuæ partem, ubi eſt aſſidua temporis uiciſſitudo:Et ſecundã, quæ ſeptem ſyderibus, ęque ac lampadibus exornatum candelabrum,cęlum habet: Et poſtremam deniq;,ubi tuum eſt propitiatorium,aſcendamus.

TABERNACVLVM Tuum in terris, quod in circuitu adorarẽt populi,ſtatuit Moſes. Vbi arca fęderis,& inuiſibile ſanctuariũ aderat immenſam tuæ Maieſtatis amplitudinem pręfigurans. Tabernaculum iſtud ſancta tua ſe ingreſſuram ſperat ecclesia,ubi adoret te,ſempiternaq; beatitudine perfruatur. Aliud enim eſt adorare te,& adorare teipſum ad Templum ſanctũ tuum. Adoramus te dum hoc in ſæculo miſerabilem uiuimus uitam. Adoramus,dum in peccatis ſumus,te Deum optimum prędicamus, a te ueniam petimus:Sed extra templum tuum exiſtimus. Dum ſane gratiæ tuæ beneficio priuati ſumus, Dum nos ſancti ſpiritus uaſcula nõ eſſe pernoſcis: Tunc uere neq; habitacula domini dici meremur, neque in templo tuo ſanctiſſimo habitamus.

SIQVIS Ergo uelit perfecte tuum colere numẽ,Te in ornatiſſimo,& pulchęrrimo animę

ſuæ templo requirat. Se tibi templum efficiat, ut aliud in ſemetipſo, & admirabilius templum inſpiciat. Vbi adoret te, ſummoq; intelligentiæ, & uenerationis ſplendore affectus in tui amorem exardeat, ac in perſpicuam maieſtatis tuæ notitiam rapiatur. Tunc enim iuxta aram immenſę pietatis tuæ, & gloriæ conſtitutus te in timore tuo colet, & adorabit. Non ob id, quod de tua bonitate diffidet, ſed quia teipſum ueneratione quã maxima, proſequetur.

INDE Quoq; ſiquis recte adorationis munus exercere uoluerit, tuam timeat poteſtatem, uereatur recedere ob obſeruatione mandatorum tuorum. Se noſcat impurum eſſe, & innumeris erumnarum ſordibus inquinatum. Neq; tamen ita uelim diffidat, ut in Dei iram incautus incidat, quam in diffidẽtię filios influxam legimus. Verum oppoſita ratione confidat, ſperet, amet, colat, ut ex templo huius ſęculi manufacto ad perpetuum, & admirabile Trinitatis templum tuum deueniat. Quo ſit, ut ſponſa filii tui, de qua noſter cęptus eſt ſermo, quum ſe eius dilectam agnouerit, antequam eiuſmodi tam felici ſucceſſu potita ſit, quinimmo in maximis perturbationibus poſita ad te uoces ſuas in hunc modum emittat.

DOMINE DEDVC ME IN IVSTI-
TIAM TVAM PROPTER INIMI-
COS MEOS: DIRIGE IN CONSPE
CTV TVO VIAM MEAM.

SI ENIM (ut mihi per ſanctos patres innotuit) digna effecta ſum, ut tecum in tuo habitem thalamo. Quum tamen nondum tempus tantæ felicitatis aduenerit, te precor Domine, ut in iuſtitia mea non modo me perſeuerare ſinas, ſed etiam efficaciter uelis, & ſtatuas. Sunt enim undiq; mihi, quibus premor, anguſtiæ. Eſt malus ille Demon ſathan Babiloniæ caput, & Princeps, qui meis quotidie greſſibus implicatur. Qui cõgregationis tuæ filios irretit, & illaqueat. Qui meis ornamentis, & bonorum operum odoribus perperam emulatur. Qui a recto iuſtitiæ calle totis uiribus non ipſe ſolus, ſed una cum tota Demonum acie me diuertere ſtudet, in me aſſidue machinatur, ſeditiones parat, & nutrit, ſenſuum blandimenta proponit: Honori meo, & gratiæ inuidet, & me perdere ſatagit, ut tota mortalium una ſit ciuitas: Quę illius miſerabili, ac funeſtiſſimo adminiſtretur imperio. Hi ſunt inimici mei: propter quos te rogo Domine, ut deducas me in iuſtitiam tuam: inimici enim tui ſunt, qui libidinibus exarſerunt ſuis: non eu-

beſcentes propriam cuiuſq; ſpeciem immenſæ tuæ pulchritudini pręponuiſſe, Hi ſunt, qui me infeſtant aſſidue, & mille artibus ſtimulant, ut ſimilis illis fiam, & a peccatis detinear in ſempiternum. Hi ſunt, qui mihi mundi huius opes, honores, uoluptates gregatim aſſidue iactant, & concinunt: ut meas (ſirenarum more) fallaciter demulceant aures. Verumtamen maximę inimicitiæ ſigna eorum perhibent oculi. Quibus me torue aſpiciunt, dum meam perditionẽ procurãt, Quum uideant me in ſuas nequaquã partes poſſe pertrahere.

ATQVE Ideo enixius, quo fieri queat te oro, & obſecro, quoad hiſce in agitationibus manſero, me regas, & dirigas uiam meam. Quæ alioquin intorta eſt, & obliqua nimis in conſpectu oculorum tuorum, qui ſunt tuæ ſanctiſſimæ uoluntati conformes. Via mea in hunc modum ſapientiæ tuæ filo directa non mea erit, ſed tua. Et quæ ſecus deliteſcere conſueuit, mihi tuo pateſcet lumine. Quo & ipſa cum adoleſcentulis tuis longo ordine ad te ualeam peruenire. Et tu, ſponſuſq; meus pulcherrimus ante aſcenſum meum mihi mel gratiæ ſuæ, & pietatis rorem aſſidue influat; eo quod certiſſima ratione cognoſco.

QVONIAM NON EST IN ORE EORVM VERITAS: COR EORVM VANVM EST. SEPVLCHRVM PATENS GVTTVR EORVM, LINGVIS SVIS DOLOSE AGEBANT.

LICET.n.innumeris blandimẽtis afficiar, noſco tamen, quoniam mendaces ſunt: Et ab eorum corde mendaciſſimo quas inſinuant, proueniunt actiones. Lux mea nõ capitur nugis, Verborum Lenocinio ueritas non obfuſcatur. Eorũ guttur, & pectus impietatum omnium receptaculum eſt, atq; ſepulchrum. Quo ſcelus omne recondant, atq; ita ſepeliant, ut exhauſtum nullo unquam tempore uideatur: licet aſſidue malorũ omnium, & iniquitatum flammas euomet, & eructet. Os.n.a gutture, guttur a corde, cor ab animi malignitate, & uirulentia amareſcit, ac quoſcunq; uoluerit, inficit. Non enim ea eſt Demonis, malignorum ſpirituum, & iniquorum hominum amaritudo, aut peſtis potius, quę ſuũ dumtaxat, ubi exorta eſt, occupet locum: Sed foras exit, ampliaturq; nullis pręſcripta finibus. Neq; ferme tantum cuipiam dulcedinis, aut nitoris comparatum eſt, ut nequeat (niſi illum adiuueris) eorum tabo, & contagione cõmaculari. Mille etenim ſunt iniquorum artes, & ſtudia ſo

lertiſſima, quibus die, noctecꝫ in probas, & conſtantes animas inuehantur. Quumqꝫ ſenſuum illecebris eas irretire non poſſint, uanitatis aura, & auiditate glorię capere ſtudent, ut modus nullus relinquatur intactus, quo inclinari queant, & perpetuæ perditioni ſuccumbant.

QVAMOBREM Tu omnium paſtor, & rector ſanus, & oculatiſſimus iudex inquit nurus hæc tua.

IVDICA ILLOS DEVS: DECIDANT A COGITATIONIBVS SVIS SECVNDVM MVLTITVDINEM IMPIETATVM EORVM. EXPELLE EOS, QVONIAM IRRITAVERVNT TE DOMINE.

IVDICA Illos, aut potius deſtrue, quod.n. emendari noluerint, caſtigatione non egent amplius, ſed inflictione, atqꝫ inexorabili pœna. Iudica, & perde, quoniam perdendi omnino ſunt, qui iniuſte alios perdere uoluerunt. Iudicabis iudicio tuo ſanctiſſimo. & ultione iuſtitię condemnabis. Quando a prauis cogitationibus, & machinamentis ſe decidiſſe conſpicient ob innumeras eorum impietates. Cogitabant.n.me laqueis ſuis ad turpia, & inhoneſta pertrahere. Machinabantur mihi, & frequentiſſimas parabant in-

ſidias. Arbitrabantur mundi huius uoluptates eſſe perpetuas. Tuam deniq; miſericordiam con ſequi non dubitabant, nimium ſperantes in te. Iudica ergo illos, & expelle a conſpectu tuo, inq; malignantium conuentu conſtitue, ubi ſe collocarunt. Reiice, quoniam irritauerunt te, & defecerunt tibi pariter inutiles facti. Nomen tuum ſanctiſſimum non agnouerunt. Te Dominum fortem, & potentiſſimum obliti uſq; in ſupremum uitæ Diē, qui de omnibus iudicat, in ſuis erratoꝝ inuolucris pmanſerūt. At uice uerſa qui tibi obſecuti ſunt Domine, oppoſito ſe habere modo neceſſe eſt. Qno fit, ut

LAETENTVR OMNES, QVI SPERANT IN TE, IN AETERNVM EXVLTABVNT, ET HABITABIS IN EIS.

VERA Enim, non ſimulata lætitia gaudebunt ſe in tui conſortium annumeratos fuiſſe. Lætabuntur, quos etiam lætari maxime cupio. Quoniam & ipſa Lætor de manibus inimicorū erepta. Lætabor, quod tua ſim, tecumq; diutiſſime fuerim. Neq; ſolum lætabuntur illi, ſed ſperabunt in te, ac exultabunt in ſempiternum. Longe ſane, quam lętitia, eſt exultatio maior. Et ualde iucundius, atq; felicius eſt ad æterna gau

dia prouehi, quam exultare. Neq; exultatio hæc ſempiterna, grata tibi proculdubio uideretur, niſi in me, filiiſq; tuis pietate tua, & miſericordia inhabitares. O felix itaque, & fauſtiſſima dies, qua tanta lætitia afficiemur, qua promerebimur diuinitatis tuę habitaculum fieri. Si felix es Domine, quum habitabis in nobis, nonne felices erimus tecum, atq; dicemur? Si Deus es? nonne & nos tunc appellabimur Dii? Neq; ſolum, qui ad Cęleſtia regna prouecti ſunt tales eē dicentur, ſed etiam reliqui omnes ſuperſtites erunt ea felicitate Donati. Quæ certe, niſi in ſæculi conſumatione, compleri non poteſt. Siquidem quotidie ad Cęlum expurgatę remeant animæ. Quæ tuam ita regiam habitent, ut ipſe inhabitentur a te, & cōmuni quodam amoris glutino congrediamini. Atq; ideo.

GLORIABVNTVR IN TE OMNES, QVI DILIGVNT NOMEN TVVM QVONIAM TV BENEDICES IVSTO.

GLORIABVNTVR Gloria tua, quonia; iactauerunt cogitatus ſuos in te. Gloriabuntur gloria, & honore nominis tui Sanctiſſimi. Gloriabuntur, & perennis gloriæ fructus accipient. Pura, & ſincera erit Beatorum ſpirituum gloria. Quæ iuſtitiæ tuæ, & benedictionis mune

re afficietur. Vera erit, & tuo firmata nutu, quo-
niam nominis tui dilectio, cui innitetur, ſtabile
illi futurum eſt fundamentum. Gloria itaq; mea
talis, & tanta (ut ſpero) te authore mihi contin
get, ut non meis curis, & ſtudiis, non meis actio
nibus, aut meritis me ad eam peruenire poſſe in
telligam. Enimuero.

DOMINE VT SCVTO BONAE VO
LVNTATIS TVAE CORONASTI
NOS.

ARMA Etenim tua, non noſtra, illa ſunt, quibus inimicos noſtros ſuperare potuimus. Arma iuſtitiæ, benedictionis, & uoluntatis tuæ ſanctiſſimæ. Qua me ſponſam filii tui ab æterno deligere uoluiſti. Arma, quibus non cruore mactantur, aut in furorem, & mortem ciuntur homines, ut ea ſunt, quæ noſtra hac tempeſtate tractātur. Sed quibus uita paratur, fouetur Spiritus, pax & conciliatio animorum conquiritur. Dediſti, bone Deus, Arma, quibus uti noluerūt ignaui, ſed inermes tam ab inteſtinis ſenſuum, quam ab externis hoſtibus ſuperati ſponte potius, quam ui concidere uoluerunt. Tuis uero ſpiritalibus uirtutum, & Donorū armis armati aduerſus eos mirifice prȩualuerunt, & de utriſq; glorioſam palmam uictoriæ reportarunt. Quos

etiam aurea tuæ ſapientię galea Coronaſti,& ad amantino fortitudinis Clypeo protexiſti, ut re-iectis hoſtium uiribus felices ad ſuam hæredi tatem accederent. Quæ in decantatiſſima Hiero ſolimæ Ciuitate uiuis ex lapidibus conſtructa repoſita eſt.

AD Quam, Ego filii tui ſponſa, & congre gatio tua te rogo Domine, ut abiectis inimicis meis, me cito iubeas peruenire, ubi tecum dite ſcere ualeam. Qui uiuis, & R egnas Deus cum unigenito tuo, & Beatiſſimo flamine in ſæcula ſæculorum. Amen.

IN PSALMVM. DOMINE NE IN FVRORE TVO. QVI SEXTVS EST. ET SVPER OCTAVAM IN CANTICIS INSCRIBITVR.

T ſi cauſam habet, ut ſperet in Te populus tuus Domine, & in miſericordia tua confidat, non tamen ſic ſua ſpe erigi merito poteſt, aut debet, ut inſolēs factus tuam nequaquam amplius iuſtitiam uereatur. Sudare, & algere illum neceſſe eſt, in laboribus, & erumnis die, nocteq; uerſari, ut ſe ipſum exuperet, ac proportionem animæ ad corpus, mentis ad ſenſus, Diuinitatis ad mortalitatem, ſpiritus ad carnem augeat, & iuſtiſſimum furorem tuum aufugiat. Ita.n. homo gradatim, quum uſq; ad octuageſimum uitæ annum proficiendo peruenerit (ultra quem non eſt facile filum produci) maximum uirtutis robur, ſolidamq; meritorum magnitudinem ſibi compa-

raſſe intelliget. Qua quidem ſuæ cōditionis par
ta ſtabilitate Diuinæ pietatis ſubeat fundamen-
tum: Et ueluti a primo, ſenſuum, phantaſiæ, ra-
tionis, & intellectus quadrato, per intentiores
Duodecim fidei gradus, ſexq; uirtutum pariter
excellentiam, tanquam per coniunctiſſima me-
dia, luſtratis nouem Angelorum ordinibus, de-
niq; ſecundum attingat. Atq; ideo recte ſiquis
ſuipſius octocordium appellatum, hac in uita
pulſauerit inſtrumentum, octauumq; diuinę cir
cumciſionis diem per carnis macerationem fue-
rit imitatus, dicetur in Denarium (quo legis fi-
nis deſcribitur) numerum deueniſſe. Quumq;
in primis Beatitudinis normam, deinde Serua-
toris paſſionem, uictoriam, pietatem, Suipſius
confidentiam, ac Sexto loco timorem mortis, &
pericula inferni meminerit, obſeruaueritq;, nihil
ad uitæ perfectionem, quæ ſenario eſt ſimilis, ul
tra requiret. Ad hæc ſi ſex dierũ fabricam homo
ſuſpexerit, ſeq;, ut ſui creatione, ita bonis operi-
bus eiuſmodi ſenarium nouerit impleuiſſe, non
modo ſuper Aereas regiones octaedra figura de
ſcriptas, uerumetiam ſe ſuper octauum Cęli cir
cuitum conſtituendum fore percipiet. Quo fit,
ut ille ipſe populus tuus dilectus Domine mę-
rens, & ingemiſcens errores ſuos, ne ſæuias, aut

nimium iraſcaris, Te in hunc modum, & ſane conſulto deprecari ſtatuerit.

DOMINE NE IN FVRORE TVO ARGVAS ME, MEQVE IN IRA TVA CORRIPIAS ME.

SCIO Enim me in conſpectu tuo erraſſe, & quotidie errabundum in mille laqueos uanitatis incidere. Propter quos ſi iuſtitiæ tuæ furorem in me exercere uolueris, utiq; nõ ſubſiſtam. Afflictus eſt ob eaſ cauſam pleriſq; plagis Aegyptus, ac ob populi numerationem a Rege factã, Hieruſalem peſte contabuit. Neq; tamen furor ille tuus uſq; adeo progreſſus eſt, ut mali author funditus euerteretur. Sed dum ſeipſum emendauerit, illi te ſemper ignouiſſe cõſpectus es. Furor ſane tuus neſcio uerus ne, an potius fictitius appellandus, eſt mortalium inſaniæ, ac uarietati conueniens. Sed tua pietas tibi, tuoq; optimo, & Auguſtiſſimo imperio eſt pleniori iure condebita. Enimuero poſt primam illam protoparentis noſtri iacturã periiſſet utiq; mortale genus, niſi iuſtitiæ tuæ furorem remittere uoluiſſes. Tanta ſiquidem ingratitudine, & ingentium beneficiorum memoria deteſtandus merito uidebatur, ut nunquam ſatis ipſe, & ab eo progenies correpta, afflicta, damnataq; eſſe ſpectaretur. Creatus ex

nihilo, uirtutum, ſcientiarũq; munere prçditus, animantium omnium Dominus, & delitiarum poſſeſſor. Qui toti terrarum orbi eſſet legitime imperaturus. Qui etiam ab aliis derelictam aſſe queretur hæreditatem in Cælis, neſcio quo ſpiritu elationis, aut teterrimæ uoluptatis incendio ſe a tua uoluntate ſubtraxerit. Vere quum populus iſte tuus ab eo lapſu ſe nouerit tua clementia liberatum, neq; modo ullatenus uideat ob innumeros ſtimulos poſſe in rediuiua ſalute cõſtitui, Te ne fortaſſe, quam conſueueris, magis excandeas, deprecatur, ſed iuſtum furorem tuum incredibili pietate remiſſum denuo reprimas, & extinguas. Quum. n. ipſe non ſolum ſua infirmitate frequentibus peccatorum igniculis accendatur, uerumetiam tanquam furiis interdum agitatus in nomen tuum ſanctiſſimum deferatur, ad ſeipſum ueluti ebrietate ſolutus, rediens ueretur ne pro furore ſuo furorẽ tuum incurrat. Dum enim aura uanitatis effertur homo, aut in libidines proruit, dum ſitit aurum, aut in alterius uitam inuehitur, furit & debachatur infrenis. Cui ſane ſi uelles pro demeritis debitas pçnas infligere, non eſſet ei locus, aut angulus, quo ſe reciperet, & ſperaret ſibi poſſe ueniam impetrare. At quoniam pius es, & miſericors nimis

Domine,qui nunquam peccatoris interitum uo luiſti,ſed ut conuerteretur,& uiueret, audet coram te humiles preces,quibus exaudiatur,effundere,ut pro furore clementia,pro ſæueritate mãſuetudine,pro iuſtitia benignitate, & gratia uti non dedigneris.Se noſcit ad tui imaginem procreatum fuiſſe. Tuam ſæpius liberalitatem expertus eſt,poſt frequentes caſus erectus, in extremis uitæ periculis adiutus, maximis perturbationibus liberatus.Non ergo mirum ſi elatis in Cęlum oculis ueniam ſperet,& audentior fortaſſe factus,quam deceat,tibi tuo numiſmate obſignatam frontem,& pectus oſtendat.Inquiens. Tua ſum Deus optime ſoboles, tua imago: de tuis procreata uiſceribus,Ne perdas me,aut uindictam ſumas de peccatis meis, Ne ſæuias,ne furore iuſtiſſimo conciteris. Sed miteſcas obſecro,ac tuæ immenſæ liberalitatis, & clementiæ recorderis.Obliuiſcere ueteres iniquitates,poſtpone iniurias,reuoca in mentem largitatem tuã, filii tui promiſſum, atq; exhibitum pignus recenſe. Eiuſmodi omnia quæſo rememora, quæ tibi,tuæq; ſinceriſſimæ bonitati,ut grata magis, atq; iucunda ſunt, ita etiam decentiſſima iudicantur.Abige triſtia,& amarulenta, reiice odioſa,& quæ pietatis nomen offuſcant, ut dulciſſi-

mus, & ſuauiſſimus, quẽadmodum es, ſic quoq; paſſim ab omnibus habearis. Neq; etenim me latet Clementiſſime pater tam iuſtitia, quã amore in nos poſſe te, dum uolueris, furere. Hunc uellem in me tuum eſſe furorem. Quem in ſeipſo Tarſenſis ille tuus acerrimus perſecutor expertus eſt. Qui dum in ſeruos tuos ſæuiret aſſidue, ſola audita uoce (cur me perſequeris) concidit, & ex hoſte diriſſimo, factus eſt tuæ militiæ maximus propugnator. Tum uere pro impio furore amantiſſimus demiſſus eſt furor. Quem in tuos etiam martyres influxiſti, qui omnibus tormentorum generibus ſuperatis in tui amorem præ nimia lætitia conſpecti ſunt furere. Vere bonus, optimuſque tuus eſt iſte furor, quo nulla prorſus de cauſa tam uehementer in alterius fauorem & gratiam concitaris: ut ille ipſe flagrantiſſimæ uoluntatis tuæ impetus quidam eſſe uideatur. Quiſnam tecum hoc modo furere non concupiſceret domine? Quis in furore tuo eiuſmodi non argui ſolum, uerumetiam redargui non optaret? Quanquam enim miſericors Deus es, non tamen ea leni, & tarda commiſeratione, qua uti ſoles, contentus eſt homo, ſed ſtatim, & in medio peccatorum incendio conſtitutus tibi coniungi, a te rapi, & inuitus quodammodo per

trahi uelle uidetur. At nõ omnibus ea data ſors eſt, aut ſecretiſſimi tui iudicii cõceſſum munus. Sat ergo erit ne in me ultionis tuæ furorem demittas, quumq; laqueis peccatorum detinear, ut acta pęnitentia ad te redeam ob tuam grauem & conſuetam benignitatem ſolutus. Ita.n.quuſ me populum, tuum furore illo non argues, nequaquam ira tua ſimiliter corripiendum intelligam. Furor iram pręcedit, & reprehenſio correptionem, ueluti ſententiam tuam, iudicium. Expectare ſoles errantis gregis reditum ad uiam iuſtitiæ, neq;, niſi maxima iniuria laceſſitus iura tua exequeris. Id ſane eſt, in quo confidens ego audeo tuam pientiſſimam conſuetudinem optare, ne quum peccauero, ſtatim in me tua demittas iacula. Quibus neq; arguar, neq; ex abruptis miſericordiæ tuæ rupibus in profundum deiectus, corripiar. Vnde nullus mihi pateat reditus: ſed in perpetuis tenebris perſeuerem. Neq; etenim ad id petendum a te inſolẽtia prouehor, ſed potius infirmitate. Quam quum inſpexeris Domine, ſpero me exaudire dignaberis. Qui in hunc modum ad te meas inchoatas preces continuo.

MISERERE MEI DOMINE, QVONIAM INFIRMVS SVM, SANA

ME DOMINE ; QVONIAM CONTVRBATA SVNT OSSA MEA.

NISI Eniꝫ mei miſereri uolueris, ſpes mihi omnis uiuendi ſublata eſt, timore mortis emoriar, temporaneam, qua crucior, infirmitatem in perpetuum incendium commutabo. Miſerere mei, quia populus, & Congregatio tua ſum, quam elegiſti, manibus formaſti, ſanguine ſacratiſſimo de inimicorum tuorum laqueis ingenue redemiſti. Miſerere denuo, ſi alias miſertus es mei, flectare, ſi flexus es. Si amaueris ama, ſi me erexeris, erige, ſi me uiuum, ſaluumq; uolueris, nunc quoq; uelis, quum ope miſericordiæ tuæ quammaxime indigeam. Viuo ego, an morior ſine te? Saluus ego, an perditus? Felix, an miſer? Immo certe miſerrimus. Si enim fragilem, & caducam hominis conditionem conſidero, nihil ſane mutabilius, nihil ad id conſequendum, ad quod deſtinatum eſt, ineptius, aut ferme infelicius eſſe reperio. Diuinam partem habet in ſe, & terrena proſequitur. Cęlum habet, ubi reſideat, & terræ, quaꝫ incolere perpetuo uellet, afficitur. Super Cęlos etiam poteſt aſcendere, diuiniſque tuis luminibus illuſtrari, idq; nouit, & credit, & tamen neſcio qua inſania ad inferna, & tenebroſa proripitur. Plorabundus naſcitur, uiuit

egenus, etiam ſi immēſas opes habuerit, omniū auidus, nunquam ſatur, trepidus, & ſuiipſius ignarus. Surgit quotidie, & cōcidit, tollitur, atq; deprimitur, inquietus, continuis uanitatum fluctibus agitatus, Siq; ſeipſum noſcit, aut reſipit, ſtatim cogitatione diſtrahitur, Errabundus, inconſtans, ingratus, immemor, & a ſeipſo penitus alienus.

ESTNE magna hæc infirmitas, & ęgritudo? eſt ne miſeratione digna, aut indigna? Tu ſolus es, qui id iudicare uales, quoniam iuſtus es, & ſapientiſſimus iudex eius, & author. Magnum quidem miraculum in natura hominem ſapientes eſſe dixerunt, quod cum Cęleſtibus cęleſtis ſit, cum terrenis terrenus. Qui ſi propria ignauia iter ad hæc ima deflexerit, non eſt amplius naturæ miraculum, ſed portentum. Diuina enim pars deberet mortalem partem deuincere. Qua quidem uiliter ſuperata, ſordeſcit hominis nexus, & ſuo defraudatus fine in monſtrum fœdiſſimum cōmutatur. Fallit ſeipſum, naturam fallit, & te Deum authorem decipere uiſus eſt, dum in hunc modum ineptit, furit, inſanit. Neq; tū certe ulla eſt miſeratione dignus, quod ad turpitudinis, & malorum omnium extrema deuenerit, Incurabilis eſt ęgritudo, quæ

omnem Medicorum operam reſpuit. Quum quis uirtutum omniuȝ receptui canit,iam uitiis emortuus eſt, a quibus amplius eleuari non poteſt.

NON Mea eſt eiuſmodi infirmitas(inquit populus tuus) Domine neqȝ adeo me miſerum puto,ut miſericordiæ tuæ capax eſſe nõ poſſim. Mea.n.ſanabilis eſt ęgritudo, quia nondum to tus meus contabuit ſpiritus. Qui me dum ad lu men Maieſtatis tuæ conuertor,uiuificat,& æter næ uitæ præmia pollicetur. Cõturbatum meum eſt corpus,quod terrenum eſt, & affectibus ſub ditum,quod mortale, & obſcuritati obnoxium. Cõturbata ſunt oſſa mea, quibus totum corpus inſidere conſpicitur.Conturbata quidem,ſed nõ corrupta,conturbata,quoniam ſatis infecta cõ cupiſcentia terrenarum rerum, ſed nondum pu tredine,& marcore uitiorũ conſumpta.Deterior facta eſt ſua culpa natiua eorum conditio. Atqȝ ideo dum uoluerit ſpiritus,conualeſcent, & ſalu berrimũ,te authore,medicamen uitę ſuſcipient. Sana igitur me(te rogo Domine)& cura meã eiuſmodi infirmitatẽ.Sana me, & medere meis uolubilitatis ulceribus. Quæ non modo carnis texturam,uerumetiã oſſa facillime penetrarunt. Cura, quoniam ope tua, & opera maxime indi

geo.Quamobrem te inuoco,te appello, & obſecro Domine,Domine,ut exaudias me. Nam ſi te ſemel inuocare,& clamare uoluero,credes fortaſſe me non tam uehemẽter angi,atq; egere miſericordiæ tuæ auxilio. Cõturbata ſunt oſſa mea, infirmus ſum. Neq; etenim ab eiuſmodi infirmitate exempta mea prorſus eſt anima. Quæ ſane dum corpori annectitur, atq; illi magis quã decuiſſet,obtemperat, eiuſdem contagio inficitur. Qua ratione fit,ut denuo ipſam una cum corpore: & oſſium uiribus perturbatam eſſe commemorem,inquiens.

ET ANIMA MEA TVRBATA EST VALDE. ET TV DOMINe VSQVE QVO?

TVRBATIONE Corporis turbata eſt anima,non quod per uim illi corpus ſordem infligat. Sed occaſionem prebeat, ut anima ſua uoluntate deficiens illam admittat. Incitat corpus,anima reluctatur, dumq; hæc eſt uictoriæ compos,minime inficitur. Sed quum primum ſæua illius dulcedine trahitur, tum primum allucinatur,& cedit. Mea (inquit populus) turbata eſt anima, quæ ut ſenſilis eſt, non ut diuinam rationem participat,eiuſmodi perturbationibus expoſita eſt. Et licet rõnis igniculus ſuapte

natura ſenſuum irritamentis obſiſtat, tanta tamen interdum uoluptatum inundatione impetitur, ut ſubmerſionem facile euitare non poſſit. Vehemens ergo perturbatio illa eſt, quæ mẽtis aciem obtundit, perſpicuitatem obnubilat, diuinitatem tollit, imbecillem, atq; egerrimam facit. Non perturbatus (inquit) eſt animus, quod is ſolam animę partem, quæ ad rationem pertinet, explicare uidetur. Sed mea turbata eſt anima, ut ſenſiles, quæ primo turbatæ ſunt, uires, & ipſam denique rationem uitiatam eſſe commemoret.

MAGNVM Quidem eſt nobis deſiderium ſanitatis in corpore, quæ in quodam humorum temperamento cõſiſtit. Sed longe maius eſt animæ. Quoniam ueluti prę ſtantior, ita etiam nobis magis eſt propria. Et modica animæ perturbatio pro illius dignitate omnem corporis langorem exuperat. Cuius etiam incolumitas tanta eſt, ut dum ſenſus, & appetitus obediunt rationi, ac in ea ueluti in regno quodam recte ordinata, atq; inſtituta ſunt omnia, corpus ęgreſcere nequeat.

DISCAT Ergo ſiquis utranq; ſui partem ſanam, atq; integram cuſtodire uoluerit, curare in primis animæ ſanitatem. Qua corpus ita ſe

habeat, ut (ſi contigerit) etiam aduerſus aſtra prę ualeat. Neq; ea uera eſt, aut eſſe poteſt ſalu- britas corporis, quæ cum ęgritudine, & uulneri bus animæ commoratur. Aut enim cito hæc prę terit, & in aduerſam ualetudinem commutatur: Aut quantumuis perduret, magna quidem, & execrabilis eſt homini infirmitas. Qua, aggraua ta anima ad perpetuam miſeriarum gehennam deducitur. Valde itaq; & anima, & corpus, & to tus turbatus eſt homo, ſi carni, non ſpiritui ui- uat, Si iniquitatis, non ueritatis principi obſe- quatur. Quem, quum eiuſmodi infirmitate affe ctum ſe populus eius agnoſcat, uehementi deſi- derio incolumitatis accenſus, in hunc modum humiliter deprecatur.

ET. Tu Domine uſquequo? .S. medelam mihi adhibere differs, & protrahis? Quid immo raris? Quæ te ratio detinet? ne mihi tam uehemē ter ęgrotanti ſuccurras? Neq; etenim bis tibi ſo- lum inuocato, corporis, oſſium, animæ infirmi tatem propoſui: Sed tertio quoq; loco uno, & eo dem contextu te Dominum, & ſalutem meam appellare conſtitui, ut quanto diſtinear ſanandi affectu, percipias. Quādo erit illa dies, qua mihi gratiam tuam infundas? Qua innumeris mūdi huius turbinibus liberem? Qua excrucior, infir

mitatem abiiciã? & gloriæ tuæ beneficio ſtabili conualeſcam? Vſquequo Domine me perturbari, ac in peccatorum retibus detineri permittes? Potes enim ſi uelis, mundare me, & ab intorta ſemita in rectiſſimam iuſtitię uiam deducere. Vbi non timeam amplius, aut dubitẽ in tantas erumnarum ambages proruere. Tua eſt prona ad mea ſananda uulnera, bone Deus, uoluntas. Quid ergo differs? Quid expectas? (ſi licet) quæſo cõmemora. Nanq; ſi diutius immoraberis, nõ erit forte locus, aut tempus amplius, quo mihi ſalutaria remedia comparentur. Tanta enim eſt malorum hominum lues, tantus inconſtantiæ, & morboſæ contagionis exceſſus, ut niſi protinus lucis tuæ, & gratiæ aliquam firmitatem demittas, collapſura ſint omnia, nullo unquam tempore ſurrectura. Non ſolum enim timeo clemẽtiſſime Pater extremum iudicii tui diem, ſed etiam ſingula temporum, & horarum momẽta perhorreo. Quibus a nominis tui hoſtibus deuorer, & florentiſſimus is tuæ Diuinitatis cultus magna cum ignominia deleatur. Cõplura ſunt (fateor) errata, quibus te pro imbecillitate mea & pietatem tuam offendi. Sed utiq; nõ ea ſunt, quibus, te (ut ita dicam) inuito, ab eis deiici, conculcari, & ferme ad nihilum redigi merear. Liberaſti

ueterem illum populum tuæ Maieſtatis ignarũ teterrima ſeruitute: Et me poteſtatis tuæ, gloriæ, imperii, ueritatis ſcientiſſimum perdes? atq; delebis? Inſtat. n. Tyrannus atrox, qui cruentiſſimis armis toto terrarũ orbi ſola tuæ pietatis de cauſa minatur excidium. Et ſe frequenti uictoriarum ſucceſſu jactat, ac temere audet quod reliquum eſt mihi uitæ prorſus adimere. Voles ne Deus optime gregem tuum ita relinquere? atq; in dando illi ſuffragio auxiliares opes differre? ut Dirus aper de ſilua exiens illum uoret? Templumq; tui nominis ſacratiſſimum polluat, atq; illud, quod ipſe ore tuo uaticinatus es, minime impleatur, Quo nobiſcum te fore uſq; ad cõſumptionem ſæculi ſpopondiſti? Mentieris ergo tu Domine? mentieris? Qui ſumma es, & ineffabilis ueritas? Ne itaq; amplius infirmitati meę ſubſidium preſtare differas, obſecro. Succurre animæ, eam cõcita, ut a ſopore iniquitatis reſurgat, relictiſq; terrenis ſordibus erigatur in te. Putreſcentes cogitationum fętus erumpant. Sordidatæ decorentur mentes. Impietatum, & ſeditionũ lętifera uulnera ſolidentur, ut & tibi, & honori tuo, & mihi, ſuperatis tam huius, quam alterius ſæculi hoſtibus, animo, ac corpore ualidus uiuam, & in pace quieſcam. Neq; ideo amplius im

morare. Sed

CONVERTERE DOMINE. ERIPE ANIMAM MEAM. SALVVM ME FAC PROPTER MISERICORDIAM TVAM.

SI ENIM Auerſus es ob iniquitates meas a me, nihil aliud eſt, ut optem, niſi, ut tua benignitate in me faciem miſericordię tuæ cõuertas. Qua quidem tua illa beatiſſima lumina præ nimia hilaritate coruſcare conſpiciam. Quumq; meo pertenui ſpiritus igniculo ad te conuerti ſummopere ſtudeam, hac tua pientiſſima cõuerſione me non modo in te uerſum magis, ſed etiã erectum intelligam. Solet ex herbaceo genere quoddam ad ſolis motum ſua, quibus illum reſpiciat, cõuertere folia: atq; ideo inſpectionis eius aſſecutum eſt nomẽ. Tu uerus, & ſpiritalis Sol, unde ueritatum omnium lumẽ accipitur, ſi me reſpexeris, quomodo fieri poterit, ut non conuertar in te? Sed auerſus palleam, & affligar? Nõne es tu gaudium, fomentum, & uirtus animę meę? Nonne ipſa, tuum, quod non ſolum aſſidue enutrias, ſed etiam procreaueris, germen (ut ita dicam) eſt anima? Conuertere igitur, & conuertetur, accinge te, ut illius protectionem aduerſus hoſtes tuos ſuſcipias, & ipſa, ut tibi perpetuo ob

ſequatur,parabit ſe,immo illã ſummo, ac celeri ſtudio præparatam inuenies. Suſpirat.n.,ac ab imo pectore gratiæ tuæ rorem anhelat, & tuam clementiſſimam conuerſionem deſiderat. Qua etiam ſperet langoris ſui, & uulnerum ſalutare medicamen accipere. Atq; ideo, ut illam eripias, liberes, atq; cuſtodias, te populus tuus ſummopere deprecatur. Quoniam licet per corporis incitamenta defecerit, inq; ualetudinem aduerſam inciderit, animæ tamen allucinatione, & contagio labefactatum ſe nouit. Quamobrem illius in primis liberationem, ereptionem, ſalubritatem cupit, ut incolumis factus tibi immortales gratias agat, & habeat. Longe ſiquidem quum ab eo receſſeris, teq; modo ſequatur, ut reuertaris, te orat, & obſecrat, inq; tuo reditu oculi tui radios in animam eius defigas: atq; inde totum propter miſericordiæ tuæ amplitudinem ſaluum illum efficias, ſaluum ab inſidiis, ſaluum a mundi ſordibus, ſaluum ab imminentibus utriuſq; uitæ periculis. Qui etiam quum ſe adhuc perſentiat uiuere, ut ſanetur, auxiliũ tuũ implorat, inqens. QVONIAM NON EST IN MORTE, QVI MEMOR SIT TVI. IN INFERNO AVTEM QVIS CONFITEBITTR TIBI?

NVNC Nunc dum me uiuũ ſentio, neq̃ ſatis morti propinquum eſſe coniecto, adiuua me Deus meus. Quando in me uitæ tuæ (licet exigua) quædam ſemina inſpicio, Quando nõ eſt prorſus in me gratiæ tuæ ignis extinctus. Quando mei etſi craſſa quadam caligine opp̃ſſi, non tamen ceci penitus facti ſunt oculi. Quãdo non ſum in fine malorum omnium cõſtitutus. Adiuua inquam, & mihi opem largiorem tuæ pietatis impende, ſuccurre, illumina, reuoca, trahe, confirma. Quoniam niſi hac me adiuueris tempeſtate, & mortis meæ tempus expectare uolueris, quomodo tui memor ero? quo pacto mei conſcius fiam? Tanta.n. perturbatione tum me afflictũ perſentiam (ſi modo me ullatenus ſenſero) ut neq̃ nominis, neq̃ pietatis tuæ memoriam me habiturum ſperem, quo etiam pater optime fiet, ut tui oblitus ego, mei quoq̃ tu ratione legitima obliuiſcaris. Scriptũ eſt enim ignorat, & ignorabitur. Eius conditionis mors eſt, quæ ſenſualem ſequitur uitam, ut quum aduenerit, nil, niſi quod ad ſenſum, & mundanas illecebras pertinet, homo ualeat cogitare. Quo enim pacto uirtutem, & iuſtitiam animaduertet, quuꝫ fere nunquam fuerit ipſe iuſtus in uita? Quo pacto ſui ipſius curam habebit? Quem nunquam

agnouit? Quomodo Maieſtatem tuã ſuſpiciet? cui ſemper aduerſatus eſt? Quiq; in terram pronus brutorũ inſtar oculos ad Cęlos extulit nunquam? Subibunt certe innumeræ uanitatum curæ, quæ præ longitudine temporis firmam ſedem in animo collocarunt. Recordabitur delitiarum, cõmemorabit diuitias, mundi huius blandimenta recenſebit. Dolebit uxorem, liberos, & amicos relinquere. Angetur non emiſſe agros, inchoata ædificia non extruxiſſe, in hoſtes non habuiſſe uictoriam, cui ſeipſum credat, neſciet, quũ de immortalitate animæ nihil ſibi ſtatuerit, imo de ipſa cogitauerit nunquam, ac ſi aliena nõ eſſet a corpore.

AT BENE Viuat homo, & in lege iuſtitiæ ambulet, nonne tui memor erit in morte, Domine? Nõne inuocabit te? & ſeipſum agnoſcet? Raro hęc (ut fertur) auis in terris inſpecta eſt. Quæ licet uirtutum purgamentis niteſcere uideatur: migrationi tamen inaſſueta triſtabitur: ac non niſi magna cum difficultate tui memor erit, niſi illam forte adiuueris, & inſolito clementiæ tuæ humore conſperxeris.

DVM Viuit ergo populus tuus, ad te clamat Domine, ut conuertaris, & ubertim illi gratiam tuã infundas, ut neq; mortẽ mundi huius,

neq; alterius miſerias horreat, aut patiatur. A te fortitudinem, atq; conſtantiam tuæ opis implorat, dum tempus adeſt, dum te ſuſpicere poteſt, & in lege mandatorum tuorum proficere, dum in hac ſenſilium rerum paleſtra ſeſe exercere ualet, & felicem palmam uictoriæ reportare. Nāq; (bone Deus) niſi te benignum modo illi præſtiteris, in obitu immemor tui, immo ſuipſius oblita anima ad inferos prolabetur. Vbi horribiles patietur manes, ubi immenſos dabit cruciatus, & pęnas, neq; te, neq; nomē tuum ullatenus profitebitur. Sed ſumma, atq; incredibili indignatione acta dolebit, deſperabit, prauaq;/& exectabili impietate in tui deteſtationem conſurget. Se in culpa ſuæ infelicitatis non eſſe cognoſcet, tibi non confitebitur, Sed potius dira blaſphemiarum iacula diriget. Cęlum, terram, maria prorſus inuerti cupiet, ueluti furens, inſana, & miſeriarum ignibus laceſſita.

FERRESNE ęquo animo id Domine? uóles ne tam celebre, tamq; purum arte tua, & ingenio confectum opus deperdi? permittes hoſtes tuos acerrimos, qui tumido elati faſtu conſpirarunt in te, tuum populum deglutire? uaſtare animos? gregem diſperdere? diſſipare? confundere? ut non amplius in terris ſit laus tua, neq; inue-

niatur, qui tuum celebret nomen, ſed confuſio-
ne, odiis, & perditione plena ſint omnia?

NEQVE Enim Pater optime ſum meiip-
ſius adeo neſcius, ut id de te ualeam arbitrari,
qui pientiſſimus es. Et licet errores mei ſint mul
ti, quibus uenia indignus uidear, quum tamen
eorum me pęnitentia cęperit, ac in amaritudine
animæ uerſatus ſim, puto te mihi ob liberalitatē
tuam uelle ignoſcendo ſuccurrere. Sique forſan
quid ego pęnitens egerim (quod tamen noſti)
tibi rememorari uolueris, paucis certe cōplectar.
LABORAVI IN GEMITV MEO: LA
VABO PER SINGVLAS NOCTES
LECTVM MEVM. LACHRIMIS
MEIS STRATVM MEVM RIGABO.

INGEMISCENS Meas tenebras, labora-
ui expectans lucem tuam. Indolui gregis tui rui
nam, Laboraui corpore, & animo, famem, & ſi-
tim in deſerto perpeſſus ſum. Cedes, fugas, & ſer
uitutem ſęuiſſimam pertuli. Cum caldeis, cha-
naneis, & ammoreis bellaui ſæpius. Nunquam
mihi requies fuit. Semper hinc inde agitatus
pro peccatis meis ad te preces meas effudi. Cum
apertis hoſtibus decertaui, ſed cum occultis ma-
gis, cum quibus perpetuam pugnam habui. Et
ex meis ſapientiſſimus habitus, uictus eſt, & ido

lis cultũ prebuit. Malus, & deteſtabilis eſt labor
ille, qui hoſtibus manus dederit, bonus, atq; pro
ficuus, quo illis obſiſtitur, & palma uictoriæ re-
portatur. Inde filii tui pręcurſor uterum matris
egreſſus optimos, ſed duros ualde pęnitentiæ
fructus, ac opera exercuit. Inde uates, martires,
Virgines, cæteriq; pietatis tuæ optimi profeſſo-
res laborarunt, ingemuerunt, excruciati ſunt, ut
ſibi, & mihi populo tuo ſalus eſſet, & requies pro
futura. Vnigenitumq; proinde tuum in terram
demitteres, quem uelut optimum, atq; fortiſſi-
mum patriæ ſeruatorem agnoſcerent, & adora-
rent. Laboraui ante eius aduentum, poſt etiam
ſummopere laboraui, quoniam adiecta eſt maxi
ma ſuſcepti beneficii ingratitudo. Qua in homi-
nes, nedum in te Deum meum nihil certe dete-
rius eſſe poteſt. Laboraui, & aſſiduus peccatorũ,
certaminum, ſeditionum eſt mihi labor, & ſudor
iniunctus. Ingemiſco, & miſerabiliter fleo miſe-
riam, & iniuſtitiam meam. Quoties mihi euidẽ-
tia beneuolentię, fęderiſq; tui ſigna dediſti? Quo
ties iacentem me, & a priuatis, publiciſq; hoſti-
bus proſtratum erexiſti? cecutientẽ illuminaſti?
nutãtem firmaſti? errantem mitiſſime docuiſti?
Et tamen ingratus ego, immo ingratiſſimus, e
tanto felicitatis culmine quotidie concido. Pro-

pter quod, ut denuo reuertar ad te, tuq; pietate tua conuertaris ad me, ſtudeo, laboro, inſudo, de fleo, ingemiſco, ueniam peto, auram tuæ benignitatis efflagito, imbrem tuę gratiæ concupiſco, a me ſpiritus, & carnis, internos, & externos hoſtes amoueas, rogo, ac in gremium miſerationũ tuarum me ſuſcipias, obſecro.

Neq; ſatis hactenus propterea me laboraſſe commemoro, quoniam immenſum quidem eſt, in quo miſer ego deliqui. Sed id ſolum ea ratione recenſeo, ut intelligas me in poſterum etiam laboraturum pro uiribus, ne deſtitutus a te in inimicorum meorum poteſtatem deueniam.

QVAMOBREM Deinceps per ſingulas noctes lauabo lectum meum. Qui ſane ſordidatus eſt, & innumeris peccatorum maculis inquinatus. Lauabo aquis amaritudinis, acrimonia conſcientiæ meæ purgabo. Quam in nocte per omnes eius latebras, & ſinus diſcutiens explorabo, ut omni (ſi fieri queat) labe purgata eniteat coram te, & poſt amareſcientia pocula dulciſſima fluenta deguſtet: Quibus ſaliat in uitam ęternam. Per noctem uero me polliceor lectum hũc, in quo diu iacui, abluturum: Quoniã fere cecus ſum. Et caligantes oculi præ ſua imbecillitate Dei lumen ferre non poſſunt. Interiorem homi

nem ſummo ſtudio, ſalutaribus purgamẽtis affi ciam. Exteriorem lachrimarum profluuio irri gabo, ut uterq; doleat, & ingemiſcat. Quemad modum uterq; uoluptatum illecebris eſt obſecu tus. Irrigabo lachrimis, quoniam uitii ariditate ſicceſcat. Madefaciam ſtratum, & fomitem cala mitatum mearum, ut uirtutis humor ſubintret, qui ab ęterno paratę mihi pluuitę eſt deſtinatus. Neque abre (ut noſti) Domine, me in tot, & tantis afflictionibus perſeueraturum polliceor. Quoniam.

TVRBATVS EST A FVRORE OCVLVS MEVS, INVETERA VI INTER OMNES INIMI COS MEOS.

VIDI Ex uetuſtiſſima progenitorum meo rum iniquitate a te ſententiam latam. Qua niſi per uarios erumnarum caſus emẽdaremur, nun quam eſſemus in priſtinum reſtituti. Atq; ideo ex ea cognitione turbatus eſt oculus meus. Tur batus, quoniam infectus. Et unius tantum cauſa totus culpæ obnoxius factus ſum ego. Tanta fuit illius uiri tranſgreſſio, ut quum ipſe ſolus, qui peccauerat, demeruiſſe quodammodo uide retur, iuſto furore tuo in deteſtationem criminis omnis deinceps naſcitura proles damñata ſit.

Vna labe ſordidati ſunt omnes. Vno purgati ſacrificio potuerunt tutiſſimam uitã agere. Quod nihil aliud eis ſuperfuiſſet, quam, ut a mundanis illecebris abſtinuiſſent.

NEQVE Miru; eſt, ſi turbato oculo, meus quoq; perturbatus ſit animus, quoniam ipẽ tam bonorum, quam malorũ omnium eſt affectuũ ianua, qua quicquid decernitur intus, ante ſubierit, & quicquid extra conficitur, inde profectum ſit.

ACRIOR Satis mea fuit afflictio, atq; uehementior futura eſt. Quoniam in hac perturbatione diutius perſtiti, expectans noſtræ familiæ caput, & principem, qui uenturus erat, ut nos ſeruitute teterrima liberaret. Quo mox uinculo ſolutis aliud nobis detrectandum onus incũbit, quo & perturbamur aſſidue, & extremum uitæ periculum formidamus. Et ſi enim liberi facti ſumus in uniuerſum, denuo tamen noſtra culpa in ſeruitutem peccatorum incidimus. Quibus & aduerſus herebi poteſtates, & truces tui nominis hoſtes quotidie pręliamur, quid dicam pręliamur? immo neſcimus quo pacto eorum furorem, & impetum fugiamus.

DICEBAM Ego populus tuus Domine, quãdo me pro filii tui imperio libertate donaſti.

DISCEDITE A ME OMNES, QVI OPERAMINI INIQVITATEM. QVONIAM EXAVDIVIT DOMINVS VOCEM FLETVS MEI.

DICEBAM, Vt mꝗſti diſcederent impii, & abirent. Qui me in tam ſꝗua, & iniqua captiuitate diutius detinuerunt. Quoniam lætitia plenus me ſentiebam tenaciſſimas eius manus, & laqueos euaſiſſe. Diſcedite, proculq;, & in malaſ crucem abite, dicebam. Quod ad eum in me authoritatis gradum non eſſent amplius reſtituendi, ſed ſplendori tuo inuiti cedere cogerentur. Et merito quidem geſtiens talia proferebam, quoniam experientia clara conſpexeram mei fletus uocem, & lachrimarum mearum ſingultus te Dominum exaudiuiſſe. Venerat enim princeps ille auguſtiſſimus, qui aurea reddidit ſꝗcula, qui occluſos Cꝗlos aperuit, clauſtra inferni confregit, ſpolia animarum opima ſecum in triumpho duxit, uniuerſum totum mirifice illuſtrauit. Tumq; uere (ut ab uno ex prophetis dictum accipitur) fuerat mihi quoq; dicendum. Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, terrenoq; carcere ſoluis, & liberas, abireque in pace illum uelle uideris. Quia conſpexerunt oculi eius ſalutare tuum.

DICEBAM Hæc omnia iubilans, & mei ipſius conſcius factus uidebar digito Cęlum attingere. Neque immerito gloriabar in te, qui es gloria mea, ſalus mea, quem ſummopere colui, & ueneratus ſum.

AT Modo quum denuo, & ſæpiſſime in latẽtes ſpiritaliųm inimicorum laqueos incidam, qui aperte non audent ſua in me arma dirigere, ne acres tui nominis hoſtes exitiale in me bellũ exerceant, uellem, & maxime optarem læta, & iucunda uoce uſque ad ſydera mihi exclamare liceret.

EXAVDIVIT DOMINVS DEPRECATIONEM MEAM DOMINVS ORATIONEM MEAM SVSCEPIT.

PVLCHRA Etenim, alboq; ſignanda in hunc exclamandi modum mihi data eſſet occaſio. Nam uſq; adeo & ſpiritu, & corpore opprimor, ut parum profecto abſit, quin me infeliciorem, quam alias, eſſe crediderim. Dura certe, & difficilia erant priora, quibus arctabar, uincula. Dura, tetraq; ſeruitus, qua ſpiritalis Tyrãni monitis obtemperabam inuitus. Sed duriores forſan, & lachrimabiliores ſunt eę, quæ me p̃munt, anguſtiæ. Ceciderat inimicus, & mea culpa ſurrexit. Oblato puriſſimi corporis ſacrificio expia-

tus ſplendebam. Et deinceps non ſemel, ſed ſæpiſſime infectus ſum. Vagabatur alias fere per totum terrarum orbem ab ortu ſolis ad occaſu, ab auſtro ad aquilonem fauſta tui nominis celebratio. Frequens, & pius cultus tuus, cultaq; pietas per ora, cordaq; hominum iactabatur. Nūc uero undiq; & ab iis, qui tuo cenſentur nomine, laceraris. Tua anguſta nimium, & prophanata religio. Subeunt monſtra, portenta ſurgunt, quę noſtra ignauia, aut ſupplicio potius, e medio tolli non poſſunt. Letalia uenena ſparguntur, quæ me uſq; adeo, & ad inteſtina populum tuum inficiunt, ut complurimi aſſueuerint inde iam alimentum, & uitam accipere in alienam pęnitus naturam mutati. Romana increpatur eccleſia. Tuus relictus in terris principatus aufertur, tolluntur ſacra, immutatum eſt ſacrificium, celibatui connubia pręponuntur, innouantur leges, omnia deprauantur. Sunt ne hæc ſola, quæ miſellus ego perpetior? Nequaquam. Nanq; alienigenæ non fortes, dicam, ſed fortiſſimi facti ſunt ſuper me. Quotidie ſuum ampliant, & iactant imperium, agros, & ditiones arripiunt, & nemo eſt, qui audeat ſe hominem profiteri, aut qui cōfidat in te. Puſillanimes, & inermes facti ſunt omnes, quoniam apud eos Domus tuæ zelus eſt

nullus. Quadere maxime cupio exaudiri a te Domine. Atq; utinam me iamiam exauditum perciperem, uelut alias intellexi meam abſte exauditam orationem fuiſſe. Deprecatus ſum, ut langores meos auferres a me, Oraui ut tibi gratus fieré, & priſtinę redderer dignitati. Nunc quoq; idem, precor, ac uehementius oro, ut uelis, ſentias, efficias, Tunc enim ſi idipſum pietate tua fuero conſecutus, uere dicere potero, atq; liberius exclamare. Exaudiuit Dominus preces meas.

ERVBESCANT, ET CONTVRBENTVR VEHEMENTER OMNES INIMICI MEI. CONVERTANTVR, ET ERVBESCANT VALDE VELOCITER.

ERVBESCANT, Quoniam iniuſte perſecuti ſunt, & odio habuerunt me gratis. Erubeſcant uicti, fracti, tuoq; iudicio accifi. Eorum.n. gloria in ignominiam uerſa eſt, gaudium in luctum, exultatio in lachrimas. Erubeſcant, ac conturbentur uehementer, & in ſua perturbatione confuſi pereant omnes inimici mei, quos tuos etiam ſtatuiſti. Omnes inquã tam ii, qui aduerſus ſpiritu; quã qui in corpus, & fortunas meas acriter conſpirarunt, pereant, & diſſipentur, quoniam bella duriſſima uoluerunt. Vel ſi pietate

tua illos nequaquam perire uolueris, conuertantur ad te, ceſſentq; alii, & in ſua ſemel habita infelicitate quieſcant. Illi uero uerius erubeſcentes indoleant ad te conuerſi, & de erratis pœnitētiā ſponte ſuſcipiant. Quoniā tanto tibi, aut gratius, aut illis ſalubrius id erit obſequii, quāto celerius offerretur.

SIC Itaq; bone Pater, quum in tantis malorum ſentibus, & fluctuatione reperiar, fac quęſo miteſcas, neq; erubeſcam ego, quando illi de te nobis non erubuerint dicere: ubinam eſt Deus eorum? Qui tamen uiuis, Regnas, & pręſto es omnipotens una cum filio, & paracleto in ſæcula ſęculorum. Amen.

IN PSALMVM SEPTIMVM. QVI INSCRIBITVR IGNORANTIA SEV EXERCITATIO DAVID. QVAM CECINIT DOMINO SVPER VERBIS CVS STIRPIS BENIAMIN. ET INCIPIT. DOMINE DEVS MEVS.

m

E angit Domine ſolicitudo cõſcientiæ meæ. Quia ignoraui ſemitam iuſtitiæ tuæ, & uiam mandatorum tuorum frequentare neſciui. Ignoraui te, & neſcius meiipſius in ignorantia ita uerſatus ſum, ut niſi pius ſapientiæ tuæ affuiſſet afflatus, periiſſem utiq;, & me quoq; pęnitus ignoraſſes. At me, quum oculis rectis aſpexeris, oblitus es inſcitię meę: Et quę mihi inimici mei falſo obiiciunt, ignoraui. Malum, & deteſtabile quoddam, ignorantiam eſſe profiteor, quam doctam uocant. Sed bonum, & lau-

dabile,quæ cum innocentia iuncta eſt, & ſtulta ſapientia nuncupatur. Subiit hæc pietate tua poſtquam illa receſſit. Hac humilis factus ſum, & diras perſecutiones hoſtium tuli. Quæcunq; mihi obiecerint, dilui coram te, & exercitaui ſpiritum meum in ſalutari tuo. Interp̄tatus ſum in bonum fraudes,& accuſationes eorum, quod uiderem me per hos ſentes, & tribulos inceſſurum, ut deniq; in patentiſſimam quietis planitiem deuenirem. Rectam hanc meam ignorantiam aſſero,tibiq; ueluti gratam, ita perſecutoribus meis iniucundam denũcio. Qui calumniantur me tota die,& in Maieſtatem tuam uelut impium conſpiraſſe obiiciunt. Atra nimium,& obſcura in me uerba pronunciant; Quoniam candore ueritatis priuati ſunt, & liuore intrinſeco nigreſcentes animas pręferunt, qua ſumma impietate conſperſas diutius cęlare non poſſunt. Timorem mortis ex infirmitate carnis, & pericula inferni perhorrui domine, Nunc calumniatorum uenena maxime pertimeſco. Qui me ut ad ĩma deiiciant, abutuntur pietatis nomine, blandientes interdum, aut accuſantes, ut deſperatione conuincar. Seſe ueluti achimelech, regni tui conſortes impudenter efficiunt, filio tuo, quē tentarunt, terrena imperia promiſerunt, de ſeip-

ſis confiſi omne fraudis ſcelus aggreſſi ſunt. Ego uero tuo adiutus numine hæc me ignorare pro-fiteor, & coram te meam ab hoc crimine infide-litatis innocentiam concino, ut me uſq; in finem adiuues Domine Deus meus, & in hunc modũ mea licet inculta ſatis, & trepidiſſima uerba pro nuncio.

DOMINE DEVS MEVS IN TE SPE RAVI, SALVVM ME FAC EX OM NIBVS PERSEQVENTIBVS ME, ET LIBERA ME.

EXERCEOR Ego, & aſſueſco te Domi-num Deum meum uocare, quoties ad te meas effundo preces, ut eiuſmodi appellatione dulciſ-ſima in perſecutionibus meis me a deſperatione contineam. Si enim amo te, nihilq; magis quam tuam erga me beneuolentiam opto, opus eſt, ut ſæpius te inuocando gaudeam, ac ipſo gaudio ſubleuatus te laudem, tibiq; acceptum referam refrigerium animæ meæ. Exercetur lingua pre-cibus, animus aſſueſcit confidere, mens cogita-tione paſcitur, & a terrenis, ad Cęleſtia reuoca-tur. Felix ego ſi hac frequenti appellatione pote-ro calumnias inimicorum euadere, qui me infi-delitatis crimine taxare non erubeſcunt. Felix, ſi de torrente cedron accepto lapide ueritatis, ue

lut manu fortis nequitię monſtrum interimam?
Confido in te Domine, quoniam Deus meus es,
& non ſines ire in perditionem animam meam.
Quæ (ut noſti) manuum tuarum eſt opus.
Confido, ſperoq́ue, ceu alias quoq; ſperaui, te au-
thore, me ſaluum fieri ab iis, qui quærunt gra-
tis me interficere, ac omni conatu nomē tuum,
leges, & ueritatem ſupprimere. Saluum me to-
ties feciſti ab eorum inſidiis dum mille pararũt
artes, quibus execrandis parerem obſequiis, neq;
in umbram mortis, ſed in ipſam mortem incide
rem. At modo, quum me acrius quam unquam
alias, odio proſequantur, & mihi maieſtatis cri-
men obiiciant, Si ſaluum me feceris, a perſecu
tione diriſſima liberabis. Et ſi enim innocētiam
meam intelligo, ſatiſq; noſco non ignorari a te,
qui es omnis ſapientiæ, & ueritatis alumnus: ta-
men hoſtium inſidias pertimeſco. Qui modos
omnes, & uias tentant, quibus me lacerent, ac in
deſperationem deducāt. Non fuit ſatis mihi eos
toties illuſiſſe, me per ſenſuum illecebras in eo-
rum traxiſſe uota, innumeris fomentis, & concu
piſcentiæ ſtimulis agitaſſe, niſi nouo, & inaſſue
to quodam artificio obiecta infidelitate quære-
rent me in extremum uitæ perducere. Si tenta-
tio eiuſmodi tua inſtitutione mihi facta fuiſſet,

lętaret ualde, quod conſtaret me in bonorum numero conſtitutum fuiſſe. Scriptum eſt enim, Deus intentator malorum eſt, atq; ideo bonoru; tentator. Ita ſiquidem Abraam, ut tibi filium in uictimam offerret, tentaſti. Ita iob patientiſſimū in ſummis afflictionibus expertus es. Populum tuum per deſerta uagari, ut proficeret, ſtatuiſti. Tuos ſanctiſſimos martires, apoſtolos, atq; prophetas perturbationibus premi, aſperitatibus uexari, tormentis adigi, doloribus excruciari, ne fandis motibus affici uoluiſti, ut acciperent coronam uitæ, quam propoſuiſti diligentibus te. Virtus enim (ut legitur) in infirmitate perficitur: & qui legitime cum hoſtibus decertauerit, merito coronabitur. At mihi ignotum eſt, an tua hæc ſit perſecutio, aut rectius tentatio, Domine. Hinc eſt, quod uereor, & maxime quidem contriſtor, meq; ut liberes, oro, & obſecro. Si tua eſt: adiuua me, ut perſiſtam uſq; in finem, ne deſperatione ſuccumbam. Sin uero tua non eſt, me tam uehementi perturbatione, atq; moleſtia libera, ut in electorum numero collocer, & cęleſtem ſubeam hæreditatem, quam ab æterno tuis fidelibus præparaſti. Siq; hæc tentatio tua eſt, edoce, ut animatus ſperem ueluti alias ſperaui, immo magis confidam in te. Et ex his inex

plicabilibus giris, anxietatibuſq; eripe animam meam. Perturbor enim, uexor, excrucior. Quoniam innocens ego ſum, & tantæ calumniæ cauſam prorſus ignoro. Eripe me bone Deus, aut appare, & indica mihi, cur me ita iudices. Indica, & ſi libeat, ſuade, ut infeſtationē eiuſmodi ęquo animo feram. Quæ tanquam gladius acutus penetrauit ſpiritum meum, quoniam hæc eſt uoluntas tua. Quod ſi facies, afflictio conuertetur in gaudium, & non timebo amplius calumnias, obiurgia, contumelias pro nomine tuo pati. Dulcis mihi erit iniuria, ſuauis labor, iucundus timor, & dolor. Mihi erit pturbatio pabulū, uexatio ſolamen, perſecutio fomentum, ignominia Laus, inſultatio gloria, deteſtatio maximum oblectamētum. Eripe igitur, & indica mihi uoluntatem tuam.

NE FORTE ALIQVANDO RAPIAT VT LEO ANIMAM MEAM, DVM NON EST, QVI REDIMAT, NEQVE QVI SALVVM FACIAT.

NISI Enim me adiuueris Domine, rapiet me inimicus meus, ut leo, & laniatam inſectationibus animam deuorabit. Cuiuſq; conditionis calumniam parum eſt pati, impiū uero dici, maximum, & quod facile tolerari non pōt. Hoc

eſt illud crimen, quo utique maius non datur. Hæc eſt illa labes, quæ ſtatim animam fędat, & perimit, etiam ſi mille annorum ſpacio prius in ſinceritate permanſerit. Hanc maximam rapien di homines Leo habet occaſionem, ut inſatiabi lem repleat appetitum, & feritatem ſuam oſten dat. Leonis formam, & uires induit aduerſus me acerrimus perſecutor, dum me his tormentis op pugnat, & labefactare conatur. Non enim in ali quem, niſi acriter dimicaturus inſurgit natiuo, ſolitoq; faſtu erectus. Fidei arma, & iuſtitiæ cly peus, in quem, ipſe furens inuehitur, fortis eſt, & impietatis iacula nō pertimeſcit. Rugit Leo, ut uehementius concitetur, uiru paſſim per cor poris membra diffuſo: & non niſi gloriæ cupi dus pręliatur. Ego uero, qui puſillus ſum homo, aut potius non homo, ſed abiectio plebis, quo pacto ſine tua ope ſubſiſtā? Non enim alioquin, licet ab hoc crimine immunis, queo me meis ar mis ab hoc hoſte defendere. Neq; alius quidem eſt, qui me de illius manibus redimat, & poſt quam redemptus fuero, ſaluum efficiat. Solus ipſe meus redemptor es, Seruator ſolus, atq; uni cus fautor, & protector animæ meæ. Quem, quū maximo angore perturber, inuocādo, exagero, & me tibi commēdo, ut benignis auribus audi

tus ego exaudiar: Et ferociſſimæ beſtiæ morſus, ac dilaniationem euitem. Non enim corporis uulnera, aut lacerationem formido, ſed animæ interitum pertimeſco. Quam redemptam alias, & ſaluam fieri uoluiſti. Hæc enim ea eſt anima, pro qua filius tuus humana perpeti uoluit, & cruce ſuſpendi. Hoc manuum tuarum opus, quod tanto miſterio fabricaſti: & pro cęli ornamento tuam regiam ſubiturum inſtituiſti. Non ergo mirum ſi tanto innixu liberationem eius efflagito: Si e profundo pectoris meam eductaꝫ uocem in tuis auribus intonare perſentis. Náqꝫ præ innocētia mea magis, ac magis fortaſſe quā deceat, in hunc modum libuit exclamare.

DOMINE DEVS MEVS SI FECI ISTVD, SI EST INIQVITAS IN MANIBVS MEIS, SI REDDIDI RETRIBVENTIBVS MIHI MALA, DECIDAM MERITO AB INIMICIS MEIS INANIS.

LICET Enim omnia noueris, quum tamē innocens ego ſim, mihi in hunc modum te alloqui uiſum eſt. Siquidem tāta mei eſt animi perturbatio, ut infidelitatis calumniam ferre non poſſim. Erraui fateor Domine in uia mandatorum tuorum: Sed impius nunquā fui. Scis quia

non mentior. Et ſi mentior, fac quæſo, ut deci-
dam a gratia tua per manus inimicorum tuorũ,
uacuus, & inanis omni ſpe recuperandę ſalutis.
Si feci iſtud, quod duri aduerſarii obiectant, ſi
cogitaui, ſi corde, aut opera a me unquam hæc
acta fuit iniquitas, Si deniq; reddidi mala tibi,
qui innumerà mihi bona tribuere dignatus es,
merito uincar, & iuſta ratione ſuccumbam. At
neq; id unquam egi, neq; ut agerem animo ha-
bui, aut te tanta ſum ingratitudine proſecutus,
quum me de nihilo in lucem edideris, tibi ſimi-
lem factum, & glorię tuę participem. Quomodo
id unquam adduci poteris ad credendum, aut
cogitandum de me Domine Deus meus? qui
omnia conſpicis, & cordium ſecreta rimaris? qui
omnia libras, omnibus in locis ades uiuaciſſi-
mus, oculatiſſimus? quum in me nunquam is
fuerit cogitatus. Sæpius mihi feruor ille charita
tis ademptus eſt, quo te ſummopere uenerarer,
mille uoluptatum illecebris pręperditus. At fidei
lumen extinctum non habui, cui etiam coniun
cta ſpes aliquantos potuit fructus reuiuiſcentiæ
peperiſſe. Fallere me credunt inimici mei, & in
deſperationem iniicere. At te non fallent, neque
iuſtitiæ tuæ officia continebunt. Hoc ipſum eſt,
quod me ſolatur, neq; ſinet in perditionem abire.

ſuſtentans animam ,uitam confirmans , & me (ſi id fecero) in hanc uocem compellit erumpere.

PERSEQVATVR INIMICVS ANIMAM MEAM , ET COMPREHENDAT , ET CONCVLCET IN TERRA VITAM MEAM, ET GLORIAM MEAM IN PVLVEREM DEDVCAT.

VELIS Nolis,id præ innocentia mea mihi imprecari auſus ſum . Siq; fortaſſe mei miſereri uolueris,neq; uolo,neq; ullatenus cupio. Solum enim iuſtitiam tuam imploro . Cuius inſtituto ſanctiſſimo non ipſe ſolum me corrigas (ſi id fecerim, quod mihi opponunt) ſed etiam inimicus me ſummis odiis,& afflictionibus perſequatur,nunquã deſiſtat uerbis,&factis,meam impetere animam,incendiis urere,morſibus lacerare, comprehendere,conculcare , omnemq; gloriam meam,uitam,& nomen tanquã puluerem uentorum impetu agitatum diſperdere . Id precor, id cupio , id a te pro iuſtitiæ debito libenter expecto,meum caput,meam uitam, & animã tibi deuoueo.Me animat , & ut temere tecũ loquar, efficit innocentiam ea.Me impellit calumnia intolerabilis , tentatio atrox , perſecutio impia,& quæ diutius,etiam in conſtantem uirũ exerceri

non poſſit. Parce Domine ſi pro timore audacia, pro precibus imprecatione, pro modeſtis, impudētibus uſus ſum uerbis. Parce, & ignoſce mihi, quia ex abundantia cordis, coactus ſum talem proferre ſermonem. Nihil enim meipſum pendo, nihil animam meam exiſtimo, nihil uitam, honorem, & gloriam eſſe puto comparatione bonorum tuorum. Quibus ſemel, ac ſæpius me immenſa liberalitate donaſti. Ipſe nāq; (ita me adiuues, & in hac maxima pertutbatione ſuccurras) mea es anima, mea uita, meus honor, & gloria. Cuius auxilio fretus audeo orare te, ut non ſolum pro ſinceritate mea, ſed etiam pro honore tuo aduerſus tam malignantes ſpiritus conciteris.

EXVRGE DOMINE IN IRA TVA; EXALTARE IN FINIBVS INIMICORVM MEORVM:

SI Etenim inſurrexerunt aduerſus me, neq; pepercerunt animæ meæ, quid eſt, quod me orare prohibeat? ut in eos inſurgas, qui tui etiā declarati ſunt hoſtes, quum & religionem, & nomen tuum acriter, & ſine ulla modeſtia perſequantur. Exurge inq̄, quoniā hactenus iacuiſſe uideris, hinc, atq; illinc debacchātibus iis, qui ſeſe, e, directo pietati tuæ innocentiſſimæ oppo-

ſuerunt. Neq; ſolum te precor Domine, ut in
eos inſurgas, ſed etiam ultricis iracũdiæ tuæ gla
dio pſequaris, & punias • Diligendi ſunt inimi
ci (ut iubes) ſed non, ii qui tibi indeſinenter offi
ciunt, & uolũtati tuę repugnãt. Qui ſeipſos negli
gunt, & relicto ueritatis lumine pfundas tene
brarum noctes inhabitant: diligendi ſunt, ut cõ
uertãtur ad te (ſi fieri queat) & pſecutiones eiuſ
modi derelinquãt. At indurata ſunt corda eorũ,
& emarcuerunt ulcera impietatis. Quæ in leta
lem putredinem erumpentia omnem medicorũ
operam reſpuunt, & obduxit callum iniquitas•
Aduerſus quam irę tuę furor, iuſtitiæ impetus,
amaritudinis poculum, lues incendii eſt totis
uiribus imprecanda • Exurge igitur, ut exurgã
ego: quoniam iaceo, & acerrimo mentis cogita
tu perturbor• Qui iam fere mei ipſius oblitus ue
reor, ne in hoſtium poteſtatẽ deueniam, niſi ad
iuueris me, & ferme deſperatione proſtrato nõ
ſit, qui mihi adiutrices porrigat manus, aut qui
patientiam meam tibi acceptam fuiſſe comme
moret. Sed iudicent, & proculdubio credant
omnes, quod mihi exprobrãt hoſtes egiſſe, ac ob
eam cauſam te merito mei obliuionem cœpiſſe.
Exurge, adiuua, & te Deum meum oſtende. In
quo ſperaui, quẽ dilexi, & colui • Surrexit filius

tuus, & magna eius, immo ampliſſima uirtute
generi humano ſuccurrit. Qđ utiq; periiſſet, ni-
ſi pro eoipſo in crucis ara perire uoluiſſet. Surre
xit, & exaltatus eſt, ſuperatis hoſtibus trium-
phauit, & beatas animas ſecum abduxit. Cur eſt
ergo, ꝙ modo, quum me hac maxima eorumdē
hoſtium perſecutione, tentatione, calumnia, ia-
ctatione periturum proſpicias, aduerſus eos nō
mouearis? Cur eſt, ꝙ uultus tui imagine obſi-
gnatam animam perdendam uelis? Cur paten-
tiſſimas aures miſericordiæ tuę illi nō porrigis?
Cur obſurdeſcis? Cur iaces? & tibi magno cū de-
decore inſultari permittis? Non ſum ego ſolus,
qui pereo, nō enim uſq; adeo aduerſa mihi mea
ſors eſt, ut me miſerum tantum, & calamitoſum
efficiat. Eſt etiam tua hæc patria, quę non ſpiriti
bus malignis ſolum uexata, ſed potentiſſimis
impiorum armis concuſſa indies labare conſpi-
citur. Neſcio an iudicio tuo id fiat, uel optima
uoluntate, ut reſipiſcat populus tuus, qui fortaſ
ſe nimium declinauit a recto. Sed ſi id in cauſa
fuerit optime Deus, ne ulterius ſæui exaltando
inimicos tuos, qui gloriabundi ſuos late præte-
riiſſe fines conſpiciuntur. Sed extende manus
tuas, diſturba progreſſus eorū, ne ii, qui ſanctū
numen tuum coluerūt, innocui, una cum delin-

quētibus magna cum ignominia pereant. Nāq; ſi eos amplius exaltaueris, uereor ne deinceps populus tuus electus extolli non poſſit. Cuius ni rationem habere uolueris, tui ipſius ſaltē me mineris. Qui per prophetarum oracula, & poten tiſſimorū Regum exempla idipſum, quod ſup plico, docuiſti. Quare te iterū precor, & depcor. EXVRGE DOMIME DEVS MEVS IN PRECEPTO, QVOD MANDASTI ET SYNAGOGA POPVLORVM CIR CVMDABIT TE.

STATVISTI Eteniꝫ (& ita locutus es) ut pereant gentes, quæ bella uellent, & qui nollēt benedictionē, malediceretur illis. Mādaſti patri bus noſtris, ut lumen ueritatis agnoſcerent, & eorum animæ de ferarum, ac hominū manibus redimerentur. Et quicunq; humanum ſangui nem effudiſſet, eius etiam magna cum ſolutio nis uſura ſanguis effunderetur. Quoniā & eſſet & diceretur homo ad tuam imaginem procrea tus. Benedixiſti Abraæ, & ſicut ſtellas cęli ſemē eius propagari iuſſiſti. Credidit, & fructum iu ſticiæ reportauit. Hæc uelim rememores Domi ne, ſæpiuſq; mente reuoluas, & populo tuo refri gerium, & reſpirationem condones. Iam enim ſa tis ſpiritu, & carne uexatus eſt. Iam ſatis pertur

bationum ſtimulis agitatus , comprobata iam
eſſe poteſt fides eius, & puritas. Iã ſatis ſuperq;
cruor eius effuſus eſt, quo terra maduit, & ue-
luti effluxo flumine irrigata eſt. Qñ igitur, aut
qũo dabitur, ut fidelium animas de manu ho-
ſtium eximas? Vbi felix, & ampla eorum ſobo-
les, quæ longe, lateq; promiſſam illi terram in-
habitet? Exurge igitur, & antiquas ſanctiones
obſerua. Nam hic certe modus erit, & uia, qua
non hoſtes tui amplius inuenientur. Factus erit
grex unus, congregatio una ſub te unico, & ſin-
gulari animarũ paſtore. Sic enim purgatus mũ
dus, ac in decorem priſtinum reſtitutus lætabi-
tur, neq; amplius caligabit, diſſenſionum om-
nium, & miſeriarum immunis. Peribit populo-
rum, & gentium ſynagoga. Malignorum ſpiri-
tuum acies, & robur deficiet. ſurget eccleſia, mea
expurgata anima conquieſcet, & laudabitur no-
men tuum in uniuerſa terra. Circundabunt te
omnes nationes, & in circuitu menſæ tuæ exul-
tabunt ouantes. Vbi & iuſtitiæ, & pietatis pabu
lo ſatiatæ nihil ultra pro felici ſtatu requirent.
Cuius gratia tuus in terram demiſſus eſt filius:
Ea ipſa eccleſia nũc eſt, quę te orat, & obſecrat,
ut poſteaq̃ e beneficentiæ culmine, eius, aut alte
tius culpa decideris, ad id denuo teuertaris, ut

ſalua,tutaq; fiat,& a te deſpecta minime uidea-
tur. Quam quum mecũ ipſe conſidero,de ſeipſa loquentẽ meis in auribus ſic intonare intelligo.

ET PROPTER HANC IN ALTVM REGREDERE. DOMINVS IVDICAT POPVLOS.

QVASI Dicat,& propter hanc.i.meipſam, quam ueluti rem non meam præ amaritudine animæ,ſed alienam exiſtimo; propter hanc inq̃ Eccleſiam in altum regredere Domine. Quoniã ſatis a multitudine miſerationum tuarum decli nare iam uiſus es,ad ſummam liberalitatẽ tuam reuertere, ſuper me largas miſericordiæ manus extende. Ne iaceas amplius, ſed ſurgas,& me de profundo miſeriæ ereptum in ſupremo iucun-ditatis gradu conſtituas. Quid enim proderit fi-lii tui ſanguine me redimi uoluiſſe, ſi ſolo nu-tu modo,qui potes,me ſaluam fieri nolis. Reuo ca curſum tuum, amoue perſecutiones, pacẽ re-ſtitue,ſeruæ tuæ conſule,redde illi lætitiam ſalu taris tui. Dominus etenim populos recta ratiõe diiudicat. Nõ dixit. Tu qui es Dominus, habes populos iudicare. Sed Dominus iudicat popu-los: Vt ex ea abſoluta loquendi forma daret intel gi te uerum, & optimum Dominum neq; eſſe, neq; merito appellari debere,niſi ꝑ iuſtitiæ exa-

mine populos iudicare uolueris. Qui quidẽ quũ in præceps eant quotidie, hoſtium iniquitate, & impetu, iuſto tuo iudicio, & opera indigere conſpiciuntur. Si enim recte illos iudicaueris, ſecernes lucem a tenebris, a nigro candidum, purum ab impuro, aurum a ſtercore optima ratione diſtingues. Meipſum hac in parte (auſim dicere) noſco Domine, quoniam me, ut agnoſcam ſic ſtatuere, & uelle uideris. Noſco populum tuũ qui nimium certe conculcatur ab hoſtibus. Et quemadmodum illum me agnoſcere ſinis, ita ẽt tuo ordine, & imperio ſtatuiſti me in hunc iudicii optãdi ſermonem prorumpere. Iudica igitur Deus cauſam eccleſiæ tuæ.

IVDICA ME SECVNDVM IVSTITIAM MEAM, ET SECVNDVM INNOCENTIAM MEAM SVPER ME.

VIDE Intellige, iudica, & ſi iuſtus ſum, iuſtitiam meam admitte. Nil aliud enim quæro, aut opto, niſi ut adhibeas oculos, mentemq; tuã in me dirigas, & iuſtitiam adminiſtres. Innocẽs enim ſum eius criminis, quod mihi magna cum fraude obiectarunt hoſtes acerrimi. Hac ſpe uiuo, hac expectatione ſubſiſto: hoc ſolo præſidio lætor, & foueor. Iudica, & iuſte ſententiam profer, quoniam nequaquam timeo. Sed ſi iudiciũ

forte diſtuleris, non timebo ſolum, ſed etiã expa ueſcam truces hoſtium manus, diriſſima tentamenta dolorum, intolerabiles cruciatus, ſupremum utriuſq; uitæ excidium. Hoc enim pacto ſi recta iudicii lance, tam meam, quam reip. tuæ cauſam diſcuſſeris.

CONSVMETVR NEQVITIA PECCATORVM, ET IVSTVM DIRIGES SCRVTANS CORDA, ET RENES DEVS.

FINEM Suum habebit iniquitas, ceſſabit immanis impetus, perfidia deſtruetur, faceſſet dolus, abibit iniuria, ſubtrahetur ſeruitus, tyrãnis protinus auferetur. Pro quibus iuſtitiæ inte gritas, iuſtorum erectio, fidelium exaltatio, iuſtũ imperium, optimus uiuendi modus, & ipſa deniq; beatitudo ſuccedet. Cuius certe author eris tu ſolus Domine, qui cordiũ ſinus, & anfractus pro arbitrio luſtres, & conſpicis. Qui calẽtes hominum renes, ſanguinolentas medullas, abditos cogitatus diſquiris, & penetras. Ad ueritatis comprobationem non indiges teſtibus. Tibi eſt pro uoluntate ratio, pro ratione uoluntas. Quoniam hæc ſemper eſt recta, & nunquam niſi ad iudicii æquitatem inflectitur. Adiuua igitur, & magna ope ſuccurre. Quoniam.

IVSTVM ADIVTORIVM MEVM A DOMINO, QVI SALVOS FACIT RECTOS CORDE.

NON Enim aliunde mihi ſperandum puto, q̄ a te, qui mihi uerus es Deus & Dominus. Nam ſcriptum eſt, maledictus homo, qui confidit in homine. Nulla uirtus noſtra, aut facultas eſt tanta, ut de ipſa quicquam ſine te nobis polliceri poſſimus. Tua enim uera, & communis eſt omnium uirtus, uera poteſtas, uerum, atq; iuſtum imperium. Noſtræ etenim uires ſunt potius infirmitates, ditiones noſtræ uanæ ſunt. & potius miſeræ ſeruitutes. Iactāda eſt ideo gloria noſtra in te, qui uera, & perennis es gloria. In te cogitatus noſtri clauo pœnitentiæ configēdi, ut inde omne adiutorium, & leuamen accipiat anima. Auxiliares opes a te, ideo iuſtas expetimus, non quoniam ipſi iuſti ſimus (q; in peccatis uiuimus, & orti ſumus, ut noſti) ſed ideo iuſtas illas uocamus, quoniam ſecundum legem miſericordiæ tuæ, quibus ſtatuiſti miſeris mortalibus ſuffragari, eas p̄ſtare ſoles. Tuum enim ſemper ſanctiſſimum inſtitutū fuit, ubi aliquā, licet exiguam, rectitudinem cordis inueneris, ſalutare tuum numen infundere. Modicus ſane tibi ſufficit locus ubi reſideas, modica rectitudo

tuæ ampliſſimæ diuinitatis eſt capax. Sincerita
tis punctum totus inhabitas, totus dum ample
xaris alios, ipſe comprehenderis, bonitatis tuæ,
& felicitatis profuſor. Cuinam in hunc modum
in te ſperare non liceat? Vnde in tanto perturba
tionum cõflictu ſubſidium capiat, atq; reſpiret?
dummodo non de terrę fructibus, more chain,
ſed de primogenitis gregis ſui, & cordis adipe
(ut abel) tibi offerat munera? Diligis enim lon-
ge magis paululum iuſti candoris, q̃ lautiſſimũ
ſacrificium. Intus eſt, quod reſpicis. Quæ foris
ſunt, aut negligis, aut conniuere uideris. Hoc
eſt, quod me ſolatur, & animat, quia non ſum
uſq; adeo mei neſcius, ut nõ uideam fidelitatem
animæ meæ.

AT QVONIAM inimici mei iniuſte mè
odio, & infamia proſequũtur, niſi emendauerint
ſe, iuſtitiæ tuæ tela (ut ſpero) perſentient, q; ini-
quitates eorum, & inueterata ſcelera ulterius fer
re non poſſis.

DEVS IVDEX IVSTVS, FORTIS,
ET PATIENS. NVNQVID IRASCI-
TVR PER SINGVLOS DIES.

LICET Enim iudicium differat, lentoq;
gradu ad uindictam diuina procedat ira, omnẽ
tamen eius tarditatem perſeuerantia malorum

perſtringit. Fortis eſt Deus, quia in iuſtitiæ propoſito p̄manet, neq; ullatenus ſententiã mutat, niſi peccator nouerit in melius animũ cõmutare. Patitur, tolerat, expectat, ut conuertatur, & redimat ſe de manibus inimicorum ſuorũ. Sed quum obduratione cordis in deterius elabatur, iuſtas illi ultiones infligit, & quotidie iracundiæ iacula torquet, ut ſe Deũ oſtendat. Nõne etenim per ſingulos dies iraſci conſpectus eſt? Nonne obcæcauit ſanſonem? Holoferni caput abſcidit? pharaonẽ aquis abſumpſit? Goliã ſuſtulit? Herodem pediculari morbo cõfecit. Aegiptum ſeptem plagis afflixit. Sodomam, & Gomorrã inuertit? Super uniuerſam terram diluuium aquarum demiſit? Hebræorum gentes percuſſit, ac uagari ſtatuit, capta & afflicta Hieruſalem? Iratus eſt ſæpius, iræq; ſuæ ſigna dedit iuſtiſſima, quibus orbem perterruit. Ita etiam in hac maxima chriſtianarũ rerum neceſſitate ſperãdum eſt, immo certiſſime confidendum in hoſtes gladium ſuæ potentiæ conuerſurum. Vbi & communis fidelium perſecutio, & inteſtina hæc tentatio auferatur a me: quem inter alios maxime iaculãtur. Ad quos quidem duræ ceruicis, & inueteratos diebus malis homines, aut potius hominũ umbras ſermonem meum conuerto.

NISI CONVERSI FVERITIS: GLA-
DIVM SVVM VIBRAVIT. ARCVM
SVVM TETENDIT, ET PARAVIT
ILLVM.

O MALIGNI Spiritus, rabidiſſimæ gentes, & populi iudicium magnum, & ruinam uobis annuncio, niſi ad dominum conuertamini. Annuncio infeliciſſimum diem; quoniam ipſe mihi hanc ſententiam ſuggerit, & gladium acutum oſtendit, ſæpiuſq; uibrauit, ut paulopoſt ſe illũ ueſtro ſanguine diluturum uobis indiceret, & noſceretis furentius, q̃ unquam alias, in uos armis pro ueſtris demeritis ſęuiturũ. Proſtrauit Caldeorum Regem, Ammorreorum exercitus fregit, Moabitarum uires attriuit, ſuperbam Babilonem deſtruxit. Hieroſolimam ſępius caſtigauit. Latiſſima, & uetuſtiſſima ſubuertit imperia. Et uos ueſtrorum ſcelerum creditis futuros impunes? Tetendit arcum, atq; ita illum tetendit, ut magis certe non poſſet. Parauit illum furore plenus, plenus incendio, quo ſupremum omnibus excidium interminatur.

ET IN EO PARAVIT VASA MOR-
TIS. SAGITTAS ARDENTIBVS
EFFECIT.

STATVIT Enim uaſa, mortibus liquore

plena, ubi ſagittæ intinctæ in obſtinatos acriter dirigerentur. Mortis uaſibus, non uitæ potari debent, qui non ſapientię, ſanctiq; ſpiritus, ſed ignominiæ, & inſolentiæ uaſa effici uoluerunt, plena maculis, plena ludibrio, lutoſa, fragilia, cõſpurcata, ubi nullus odor eſſet inuentus. In eo, non arcu, ſed homine. i. per illũ parata ſunt uaſa mortis. Qui temerario auſu animam meam perſequitur, & quærit pium fideliũ cultum, ac religionẽ diſperdere. Sagittas ſuas ardentibus odio, & perfidia fabricauit, non aliis, qui integro pietatis moderamine uitam egere. Ardentibus, tãq̃ ardentia fulmina, ignita iacula debebãtur. Quibus impius extingueretᷣ ignis, quo facile totius orbis pietas cõflagraſſet. Signa complura dedit Deus ab alto, ſæpenumero furoris ſui protulit ultiones. Et tamen impius eccleſię perſecutor p̃cedente tempore nũquam expauit, ſed quotidie in deteriora delabitur.

ECCE PARTVRIT INIVSTITIAM, CONCEPIT DOLOREM, ET PEPERIT INIQVITATEM.

IN DIES Noua parturit, atq; confingit machinamenta malorum. Iniuſtitias concipit, & dolores. Non enim ſua tantum malignitate lętatur, ut dolore careat inteſtiõ. Immo excrucia

tur aſſidue, ſuoqȝ liuore affligitur, atqȝ conſumitur: Dumqȝ prauos, & execrabiles fętus conceperit, dira iniquitatum uenena parit, quibus totũ terrarum orbem inficiat.

LACVM APERVIT, ET EFFODIT EVM ET INCIDIT IN FOVEAM, QVAM FECIT:

MISERIARVM Lacum, & pelagus aperuit & procurauit. Sed ipſe miſerrimus indies abſorbetur ab eo, neqȝ abſumetur unquam in criminis ultionem. Foueam, in qua Chriſtiana iaceret religio, ſollicitauit, ꝓpriis effodit manibus. Sed in eãdem temulẽtus, & furens ipſe incidit, & nõ incidiſſe putat ſuę cõditionis ignarus, fouea hęc perditionis, & exitii eſt, quam nemo ueræ uitæ cupidus, alteri procurauit. Pulchra quidem, & laudabilis ea eſt pœna, quę cum eo ipſo delicto coniuncta eſt. Neqȝ etenim iuſtius, aut uerius quiſq̃ corrigi, mulctariqȝ poteſt, q̃ quum eo actu quo alios infeſtare cupit, affligitur, & incaute perit. Enimuero iuſtus Deus, qui bonis, & iuſtis ex inſtituto non opitulari non poteſt, illudet illi.

CONVERTETVR DOLOR EIVS IN CAPVT EIVS, ET IN VERTICEM IPSIVS INIQVITAS EIVS DESCENDET.

NON Enim differre conſueuit uindictam Deus, quũ excreuit iniquitas. Inimici dolor, & ſæuitia ſuum paulopoſt ipſo authore cõuertetur in caput, ꝙ nequaq̃ doloris culmine noſtra affi ciẽda ſunt capita, quæ nunq̃ a puritate fidei re ceſſerunt. Sed eius perfidiſſimum ita mulctan dũ eſt caput, ut emeritas doli, & fraudis colluat pœnas. In cuius etiã uerticẽ propria eius iniqui tas decidat, ut unde traxit originẽ, ibidem puniatur. Sedes.n.rationis caput eſſe deſcribitur, in qua tam bona, q̃ mala conſilia componuntur, in caput plures cõnumeratæ ſunt uires, inter quas quũ ratio principatum obtineat, uerticis nomine merito quidẽ uocabitur. Quæ quũ ſuum ſibi annexũ habuerit appetitum, mœrore cõficietur, & deſperatione perenni affecta nunq̃ amplius audebit in fidelem tuã cõgregationẽ inſurgere. De ſpiritus hoſte loquor, & corporis, terrenæq; conditionis impio craſſatore. Qui non ceſſat aſſi due truces in nos manus extendere, & humano ſanguine ueſci. Vterq; horũ quum fuerit diuina ultione correptus:

CONFITEBOR DOMINO SECVNDVM IVSTITIAM EIVS, ET PSALLAM NOMINI DOMINI ALTISSIMI

ITA Enim illi gratias agere potero, & debe

bo prędicans iuſtitiæ illius amplitudinem. Cõfitebor immortale beneficium ab eo ſalutis acceptum, ſolum eum uere probũ, & iuſtum iudicẽ, immo ipſam iuſtitiam pdicabo, non deſinã innumeras eius laudes cõmemorare. Dolebo non tanti eſſe, ut poſſim merita eius pconia celebrare Enitar totis animi uiribus ſupplére, quæ ore explicari non poterunt. Pſallam corde nomini Dei altiſſimi. Quod eſt ſuper omne nomen, pſallam, & exultabo in dies liber a tanto malorum pondere. Et deiecta duræ, qua pmor, inſectationis ſarcina gloriabor. Gaudebit mundus, lætabitur omnis ſpiritus, & laudabit illũ magnificans uictoriam eius, iuſtitiam, atque triumphum.

QVAMOBREM (Vt futurum ſpero) te obſecro Domine, cui humillimas preces effundo, ut quod peto, fieri uelis, & ſtatuas. Qui uiuis & regnas Deus cũ unigenito omnium ſæculorũ principe, almoque ſpiritu in ſempiternum Amen.

Impreſſum Romæ in Campo Flore per Magiſtrum Marcellum Silber al's Franck Anno Dñi M.D.XXIII. quinto Idus Iulii. Pontificatus S.D.N. Adriani Pape. vi. Anno Primo.

Errata quæ in hoc uolumine continentur•

interpraetatur pro interpretatur in•q•B•fo•ii.
a fronte.

adulter pro adultus in.q.eodē fo•eodē a tergo•
concertos pro concretos in.q. D•fo.iiii.a fronte:
cuſtoderint pro cuſtodierint in•q•E.fo•i•a frōte•
ſunt pro ſint in•q.eodē fol.iii•a tergo:
aporum pro aprorū in•q.eodē fo•iiii•a fronte•
& præſtantiſſimo pro ex prꝫſtantiſſimo in.q.G•
fo.i.a fronte:

Dereliquiſti ꝑ dereliquiſtis in.q.H.fo•ii•a tergo
At illi pro Ac illi in•q•eodē fo•iiii•a fronte:
ergo pro ego in•q•N•fo•i•a fronte:
ſuper humanas pro ſupra humanas•in•q.R•fo.
iiii.a tergo•

uultuꝫ pro uultus in•q.S•fo.i.a fronte•
auſerri pro auferri in•q•T•fo.ii.
gaudeant pro gaudent in.q•V.fo.iii•a tergo
euomet pro euomat in.q•Y•fo.ii.a fronte.
motibus pro mortibus in.q•d•fo.ii•a fronte.
luſtres pro luſtras in•q.e•fo.iiii•a tergo

BIBLIOTECA N. ROMA VITTORIO EMANUELE

7 10
2
9 6

10 6

3

3

10 6
11 10

7 10

4 10
7
11 10